46690/A

FR. DE SAUVAGES,

PATHOLOGIA METHODICA.

55450

PATHOLOGIA METHODICA,

SEU

DE COGNOSCENDIS MORBIS.

Auctore FR. *DE SAUVAGES*,
Regis Conſiliario ac Medico, in almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſore Regio, Noſocomii generalis Medico, Regiæ Scientiarum Societatis Londinenſis, Monſpellienſis, Upſalienſis & Academiæ Stockolmianæ Socio.

AMSTELODAMI,
Sumptibus FRATRUM DE TOURNES.

M. DCC. LII.

8

Ratiocinium plurimùm laudo, quod ex effectibus initium ſumit, & conſequentias ex phœnomenis proſequitur; quod ſi non ex evidentium obſervatione, ſed ex probabili tantùm rationis fictione initium ducatur, graves & moleſtas difficultates illud infert. *Hypp. Præcept. pag.* 25. *Foeſio.*

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

INDEX.

PROŒMIUM, Pag. 1

Pathologia, ſeu de cognoſcenda ægritudine, 21

Diviſio Pathologiæ, 25

1°. *Aitiologia, ſeu de cognoſcendis cauſis ægritudinis, ejuſque principiis*, 26

Diviſio Aitiologiæ, 48

SECTIO I. *Aitiologiæ, ſeu de proegumenis principiis*, 50

Vitia ſolidorum ſimplicium ſunt

Craſſities, 52 *Exilitas*, 53

Durities, 54 *Mollities*, 57

Erethyſmus, 59 *Torpor*, 61

Vitia ſolidorum compoſitorum ſunt

Fractura, 64 *Vulnus*, 66

Caries, 68 *Ulcus*, 70

Luxatio, 72 *Procidentia*, 74

Protuberantia, 75 *Depreſſio*, 82

ā iij

Vitia fluidorum ſunt

Aceſcentia,	84	*Alkaleſcentia*,	87
Spiſſitudo,	89	*Fluxilitas*,	91
Cacochylia,	93	*Cacochymia*,	98

Vitia fluidorum & ſolidorum ſunt

Plethora,	104	*Inanitas*,	110
Tarditas,	111	*Velocitas*,	115
Obſtructio,	118	*Evacuatio*,	126
Fetor,	131	*Decoloratio*,	132
Caliditas,	134	*Frigiditas*,	136
Humiditas,	138	*Siccitas*,	140
Robur,	143	*Debilitas*,	145

SECTIO II. *Aitiologiæ ſeu de procatarcticis principiis*, 151

Ingeſta, *Retenta*, *Applicata*, *Geſta*, - - - - 151

2°. *Noſologia ſeu de cognoſcendis ægritudinum ſymptomatis & generibus*, 192

Symptoma & ejus differentiæ, 201

Morbus ejuſque differentiæ , 204
SECTIO I. *De claſſicis & genericis morborum differentiis* , 209
CLASSIS I. *Morbi Febriles* , 210. continui , 211. intermittentes , 112. exacerbantes , 213
CLASSIS II. *Morbi inflammatorii* , 215 membranacei , 216. parenchimatoſi , 218. exanthematici , 219.
CLASSIS III. *Morbi ſpaſmodici* , 222 tonici , 223. clonici , 223 dyſpnoici , 226
CLASSIS IV. *Morbi paralytodei* , 228 ſyncopales , 228. ſoporoſi , 229. partiales , 231
CLASSIS V. *Morbi dolorifici* , 233. vagi , 233. topici , 234.
CLASSIS VI. *Morbi paraphronici* , 237 deliri , 237. imaginarii , 239 moroſi , 240
CLASSIS VII. *Morbi evacuatorii* , 243

ſanguinei, 243. lymphatici, 245. feculenti, 246

Classis VIII. *Morbi cachectici*, 248 tabidi, 248. tumidi, 249. leproſi, 251. decolores, 254

Classis IX. *Affectus ſuperficiarii*, 286. maculæ, *ibid.* tumores, 295. excreſcentiæ, 303. cyſtides, 309. herniæ, 314

Sectio II. *De ſpecificis & variis morborum differentiis*, 255

De morborum mutatione, 263

De methodi Botanicæ utilitate, 273

De Nomenclaturâ reformandâ, 276

FINIS INDICIS.

PATHOLOGIA

PATHOLOGIA METHODICA.

****

PROŒMIUM.

PATHOLOGIA, ſi Arabes † audiamus, eſt ea *Medicinæ* theoricæ pars, *quæ tractat de rebus contra naturam*, ſcilicèt de morbo, causâ morbi & ſymptomate. *Morbus* juxta illos eſt ille corporis

† Primus Avicena Arabum Medicorum princeps Medicinam in quatuor partes diſtinxit quas verſibus expreſſit Martianus Rota.

Prima refert hominis quæ ſint primordia ſani.
Morbos, & cauſas & ſigna ſecunda recenſet.
Præſervat, ſervatque ſimul poſt tertia ſanos,
Ægros quarta parat vitæ revocare priori.

ſtatus, qui primò & per ſe functiones lædit; *Cauſa* eſt id quod morbum producit; *Symptoma*, quod morbum ſequitur. Morbus dividitur in ſimilarem, organicum & communem. Cauſa in proximam & remotam. Symptoma triplex pariter ſtatuitur, *in functionibus* ſcilicèt, *evacuationibus & qualitatibus.*

Quantis vitiis prematur hæc Pathologiam ſcribendi methodus, qui oſtendere voluerit, is longum opus conſcribat neceſſum eſt; ſed qui ſentire tantùm aut intelligere ea vitia cupit, is eam Pathologiam verſet, & à limine tantùm ſalutet. Ibi verba & voces reperiet, prætereàque nihil; nam pro nihilo habeo quidquid tyrones, dum animum ad praxim appulere, coguntur dediſcere, & quæ numquàm didiciſſe ſatius eſſet; qualia ſunt vocabula obſcura, æquivoca, ſuperflua, diviſiones ſubtiliores merè logicæ, definitiones ancipites ex rerum eſſentiâ licèt ignotâ petitæ,

æquivocæ, definito obſcuriores, & millena hujuſcemodi.

Medicina theorica ex omnium conſenſu *ea eſt ſcientia, quâ corporis humani ſtatus, ſanitas* ſcilicèt *& ægritudo, cognoſcuntur; practica verò ea, quâ ſanus ſtatus ſervatur, æger in ſanum mutatur.* Hinc ſpontè fluit diviſio theoriæ ſeu Semeïotices, in *Phyſiologiam*, quâ ſtatus ſanus, & *Pathologiam*, quâ morboſus cognoſcitur; practices verò in *Hygicinem*, quâ ſanus ſervatur, & in *Therapeïam*, quâ morboſus debellatur. In hâc diviſione totum accuratè, ni fallor, continetur, nec quidquam ſuperfluum eſt. Hinc liquet in morbis cognoſcendis totam & unicam verſari Pathologiam, quod munus tamen ei denegant vulgares Pathologi, ut in rerum quæ contra naturam, aut præter eam dici conſuevere, ſpeculatione remorentur; dum ad ejus ſtudii finem animum vix videntur advertere.

Sed quid per res contra & præter naturam ſibi velint Pathologi, videamus. Quid eſt primò *Natura*, præter & contra quam tot morbos, tot res eſſe clamitant; Natura, ait pars eorum maxima, eſt rerum & motuum ordo à ſummo Numine ſtabilitus. Eſto. Verùm ſi miracula excipias, nihil contra hujus creatoris inſtituta, nil præter hujus ordinis leges, nil contra naturam in univerſo fieri poſſe nôrunt Phyſici; & morbi ipſi atrociſſimi ex naturæ aut phyſices legibus pendent, ipſis conſentaneus eſt eorum exortus. Quid ergò ea natura eſt? An ſummus rerum Creator? An univerſus orbis? An ſolidorum & fluidorum actio & reactio? An complexus cauſarum omnium? Verùm morbi ſummo numini non adverſantur, nec rerum univerſitati nocent, nec contra vaſorum actiones aut cauſarum complexum quidquam moliuntur, cùm ab ipſis ſæpiùs intenſis dependeant.

Cùm itaque, quid ſit natura, ſileant Pathologi Arabes, quid ſint ipſæ res *contrà* aut *præter naturam* dictæ, eos reticere conſequens eſt. In his tamen definiendis non animi pendet hic chorus dialecticus, *res præter naturalis*, aïunt, *ea eſt, quæ licèt ex naturæ præſcripto non ſit, ei tamen nullam vim infert. Ea* verò *contra naturam* eſt, *quæ non modò naturæ limites excedit, ſed & illi vim infert, ejuſque vires & functiones manifeſtè inter turbat. Res* verò *ſecundùm naturam eſt quod naturalem corporis conſtitutionem ingreditur. Res demùm non naturalis eſt ea, quæ licèt corporis compoſitionem non ingrediatur, vitæ tamen neceſſaria eſt.* Certè ego ingenii mei hebetudinem in hoc ſummam intelligo, qui definitiones illas, earumque mutuam cohærentiam atque evidentiam ſuperadſtruendæ ſcientiæ parem non capiam. Nam, ut exemplo mentem meam aperiam, heſternis crapulis onuſtum ventriculum ha

evomere, aut beneficio naturæ dejicere, illud naturæ providæ legibus conſonum videtur, adeòque ſecundùm naturam; licèt tertiæ definitioni non congruat, & hic vomitus inter res contra naturam recenſeatur, licèt naturæ limites non excedat, imò in corporis ſalutem à naturâ inſtituatur, imminentes graves morbos arceat, & functiones ac vires redintegret, contra ſecundam definitionem. Præterea hic vomitus inter res non naturales non reponitur, licèt harum quartæ definitioni ſæpè congruat: ſed de his ſatis; ad morbos jam propiùs deveniamus.

Quid morbus ſit, vulgaris Pathologia gnaris apprimè demonſtrat, at ignaris minimè. Si quæram à Pathologis quid ſit pleuritis, vel quid hæc vox ſignificet? Pleuritis, ait primus, eſt morbus in meatibus pulmonum obſtructis à ſanguine putreſcente: vel, ait ſecundus, eſt ametria inter poros pulmonum, & eorum

humores : aut, ait tertius, eſt adaucta fermentatio ſanguinis in vaſis plevræ pulmonaris : minimè, ait quartus, pleuritis eſt ſanguinis hærentia in vaſis plevræ coſtas ſuccingentis. Accedit quintus qui illam eſſe vel muſculorum vel plevræ inflammationem aſſerit.

Quæ reſponſa non magis rem illuſtrant, & quæſito ſatisfaciunt, quàm ſi Ruſtico quærenti quid ſit gnomon aut horologium portatile quod numquàm vidit, aut magnes, &c. huic reſponderem gnomona eſſe compoſitum ex machinulis fuſis, rotis, &c. Et magnetem eſſe corpus minerale, poris in helicem tornatis aut ſtriatis præditum ; cùm multò citiùs ex gnomonis, ex magnetis externis qualitatibus, & phœnomenis propriis quid ipſa ſint intellecturus eſſet. Ita & tyroni quid ſit pleuritis certò, tutò & facilè deſignabo, ſi dicam eam eſſe quatuor phœnomenum congeriem, ſcilicèt febris acutæ,

doloris lateris pungitivi, tuſſis & difficultatis reſpirandi.

Similiter reſpondiſſet Secta illa methodica à Themiſone Theſſalo, Cœlio Aureliano, diagnoſeos principe ſtabilita; ſic reſpondendum omni ævo, in omni ſcholâ.

Si verò quid ſit pleuritidis cauſa quæratur; ad hoc reſpondeo, 1°. Non ita certam eſſe cauſarum internarum cognitionem, eam pro variâ hypotheſi variam aſſignari, adeòque quolibet decennio mutari; nam ille partis ipſius, ille alterius inflammationem aſſignat; nec quid ſit inflammatio certum eſt; ille hærentiæ ſanguinis cum Pſeudo-mechanicis, iſte putrefactioni cum Galenicis, alter fermentationi cum Chimicis, quartus attritui fluidorum & ſolidorum cum Boerhaavio, quintus naturæ conamini cum Stallhianis, &c. illam adſcribet. Quis principiis adeò litigioſis artem, cui noſtra credimus capita, ſuperadſtruendam cenſeret?

Quis de illis tam certus eſt, ut de ſuis rebus pecuniariis non magis certus eſſe vellet? Quis umquam Geometra ab ignotis & dubiis ad minùs ignota duci ſe pateretur? aut problematis quantitates notas ab ignotis expiſcari tentaret?

Si quæram à Pathologis, ait celeb. Carol. Piſo, Muſſi-Pontanæ Academiæ Princeps, quod genus morbi ſit hydrops pectoris; ille aïet eſſe morbum in intemperie frigidâ; iſte in meatu; alter in obſtructione; quartus in continui ſolutione; quintus in ſero ſuperfluo; ſextus vaſorum tumori eum adjudicat. „Utri horum, „ pergit Autor, hunc annumeraveris, „ & vera dices, & ad curationem pa- „ rùm ac ad diagnoſim multò minùs „ intereſt. Qui longiorem vulgaris Pathologiæ cenſuram deſiderat, Nenterum, Junkerum, &c. adeat. Hæc dicta ſufficiant út intelligat lector non mirum eſſe, ſi Pathologorum idioma tantùm aberret à practicorum

loquendi modo, quantùm illorum methodus diſtat à Geometricâ; non mirum ſi apoplexiam, pleuritidem, dyſenteriam, &c. quæ à Medicorum choro morbis imò gravibus accenſentur, à Pathologis ſymptomatum modò donentur nomine, & ſi tumores interni, vulnera interna, imò externæ maculæ ut nævi, verruca, varus, lentigo faciei, nec-non lumbrici, aſcarides, aqua effuſa, &c. quæ principia morborum apud practicos audiunt, pro veris ægritudinibus & morbis in Pathologiâ ſalutentur, cùm tamen lumbricus non magis morbo quàm moletrinæ anemiæ ſimilis ſit. Sed cùm vituperare tantùm maligni ſit animi, meliora verò ſimul tentare & proponere veritatis & laboris amantes deceat, ſint

PATHOLOGIÆ FUNDAMENTA.

1°. *DE SANITATE.*

1. SANITAS eſt concurſus omnium actionum & diſpoſitionum quæ ætati, ſexui, temperamento conveniunt.

Conveniunt autem actiones & diſpoſitiones, ſi ad felicem longævitatem tamquàm ad finem à ſummo Numine intentum conſpirent.

Sed *perfectio* dicitur plurium inter ſe diverſorum conſenſus, ſeu tendentia in eumdem finem (Wolf. *Ontol.* 503.) Sanitas itaque eſt hominis

perfectio, ſeu vita phyſica perfecta.

Vita hominis eſt concurſus, id eſt complexus actionum ejus & diſpoſitionum tum coëxiſtentium, tum ſucceſſivarum; & prout actiones ſunt *liberæ*, dicitur vita moralis; & prout ſunt *naturales*, dicitur vita phyſica. Actiones tum liberæ, tum naturales ad vitam perfectam debent conſpirare in eumdem finem, & in illâ mutuâ conſpiratione, ſeu in illo conſenſu conſiſtit vitæ perfectio (Wolf. *Phil. part.* 2. 13.) Mirabilis eſt conſenſus omnium organorum, & ſingularum partium organa conſtituentium: ſic ita diſpoſitæ ſunt omnes oculi partes ſolidæ, fluidæque, & ipſius actiones, ut omninò tendant ad claram & diſtinctam objectorum imaginem in retinâ depingendam, adeòque ad perfectiſſimam, quantùm fieri poteſt, viſionem; hoc docent opticæ & dioptricæ leges. Mirabilis eſt fluidorum & ſolidorum ventriculi

& partium continuarum conſenſus ad digeſtionem & chyli elaborationem; verùm ut oculus totius corporis conſervationi invigilat, & pro eo excubias agit, ita ſtomachus ſibi, oculo, aliiſque partibus famulatur & nutricatum ſuppeditat; partes ipſi reciprocè ſerviunt, atque pedes & manus ejus fami conſulunt; cùm autem finis remotior, felix ſcilicèt longævitas, ſit ſcopus ad quem omnes illæ actiones, & diſpoſitiones organorum tendant, evidens eſt illas omnes actiones conſpirare; undè Hippocrates meritò dixit, conſenſus unus, conſpiratio una, & omnia conſentientia.

In tam mirabili machinâ, quam divina fabrefecit ſapientia, nihil poteſt immutari, niſi lædatur ejus perfectio; unde ab irruentium & circumambientium corporum actione citò labefactaretur machina, niſi principium agens & intelligens, vel ſentiens, ejus conſervationis cupi-

diſſimum ipſi præfeciſſet Deus optimus. Animam intelligo, cujus appetitus Rationalis ſeu *voluntas*, & Senſitivus ſeu *cupiditas*, ſenſuum miniſterio commonefacti & *libertatis* ac *naturæ* auxilio adjuti, quidquid machinæ conſervandæ aptum eſt, proſequuntur, quidquid verò contrarium averſantur. Ita ut omnes actiones ejus principii & organorum diſpoſitiones ad corporis conſervationem conſpirent.

2. Facultates hominis, in eum finem conſentientes, ſunt triplicis ordinis, facultas ſcilicèt *cognoſcendi*, facultas *appetendi*, & facultas *movendi*; fruſtrà, quæ bona vel mala ſunt, cognoſceret homo, niſi alterutrum poſſet eligere, & fruſtrà bonum appeteret, & malum averſaretur, niſi vires motrices, & organa apta obtinuiſſet ad illud capeſſendum, iſtud verò removendum.

Facultas cognoſcendi alia eſt *inſtinctus*, vel ſenſus, quæ tantùm

ideas confuſas quales à ſenſuum organis exhibentur, ſiſtit; alia eſt *intellectus* ſeu facultas ideas diſtinctas producendi. Prior eſt brutis & homini communis, poſterior homini proprius.

3. Facultas appetendi duplex eſt pariter, *appetitus* & *voluntas*. Appetitus eſt inclinatio animæ verſus objecta pro ratione, boni in eis confusè vel inſtinctu percepti; aut reclinatio ſeu averſatio pro ratione mali in eis confusè percepti; voluntas verò eſt inclinatio animæ verſus objectum pro ratione boni in eo diſtinctè ſeu intellectu percepti, noluntas verò eſt averſatio rationalis.

4. Facultas movendi duplex eſt; altera motus à voluntate & ratione ſuaſos exſequitur, & vocatur *libertas*, quam ante Clarkium pauci diſtinctè definiebant: altera verò motus ab appetitu aut averſatione ſenſitivâ ſuaſos exerit, & *natura* apud Medicos

nominatur ; adeòque non intellectu nec voluntate, ſed inſtinctu & appetitu regitur, ſeu motus eos producit, quos ſenſatione ſæpiùs obſcurâ, ſemper confusâ, utiles eſſe dictat ratio ſeu cupiditas, aut averſatio ſenſitiva, repugnante licèt ratione & voluntate, ut accidit ſæpiùs in ſtatu morboſo.

Facultas eſt potentia agendi, id eſt movendi, aut cogitandi, undè eſt principium actionis, ut *vis* eſt cauſa actionis. Cùm itaque facultates conſentiunt, actiones pariter conſentiunt ſeu conſpirant.

5. Actiones aliæ *liberæ* ſunt, vulgò voluntariæ dictæ, quales libertas exerit, & illæ à diſtinctis boni vel mali ideis determinantur ; harum complexus vitam moralem conſtituit. Tales ſunt plurimæ actiones tum ſpontaneæ, tum coactæ artuum, ut loquela, nutus, geſtus, curſus, &c. de illis in Morali Philoſophiâ.

6. Actiones *naturales* ſunt, quas idea

idea confuſa, ſive clara ſit, ſive obſcura boni, aut mali, determinat, quas, etiamſi dudùm conſuetæ fuerint, nobis inſciis edimus, ſeu ideam, à quâ determinantur, non *appercipimus*, ut verbis Wolfii utar. Talis eſt ciborum apprehenſio, maſticatio, in ore volutatio, veli palatini elevatio, boli deglutitio, muſculorum gutturis numeroſorum actio; item mictio, dejectio, necnon cordis motus & reſpiratio, quæ vitales ab officio appellantur. Has actiones determinat appetitus boni interni, vel mali interni averſatio.

In ſtatu perfecto non ſolùm inter ſe conſentiunt illæ omnes actiones, ita ut tantùm famis appetat, quantùm ventriculus digerendo par eſt, quantùm ad circulationem & alias actiones requiritur; verùm etiam illæ cum liberis conſentiunt, ita ut homo ſimul velit, ratione duce, quod inſtinctu ſuadente appetit, & ut actiones liberæ naturalibus juvandis,

roborandis inſerviant; ſic moderata exercitia digeſtioni ſavent.

7. *Diſpoſitio* corporis eſt modus, quo ejus partes invicem conjunguntur. Partes autem corporis humani ſunt fluidæ, & firmæ; ambæ verò ſunt vel conſpicuæ, ut artus, viſcus vas; vel inconſpicuæ, ut partes terreæ, ſalinæ, ſulphureæ, igneæ, &c. ſimilares vel elementares dictæ, ex quibus conſpicuæ ſunt conflatæ.

8. *Structura* eſt modus, quo partes corporis ſenſibiles invicem conjunguntur; *craſis* ſeu miſcela eſt modus quo corporis partes elementares ſunt invicem combinatæ; hinc differentia corporis quatenùs *ſtructum*, & quatenùs *mixtum*. Structura & ejus proprietates ex principiis mechanicis intelliguntur: *principia mechanica* vocantur magnitudo, numerus, figura, ſeu conformatio, ſitus, &c. Miſcela & ejus proprietates ex *principiis phyſicis* verbi gratiâ ex gravitate, adhæſione, elaſticitate,

fermentatione, diſſolutione, putrefactione, &c. intelliguntur (Wolf. *Coſmolog.* 237.)

9. Diſpoſitiones partium in ſenſus non incurrentium, ut color, odor, ſapor, frigiditas, caliditas, quarum principium eſt craſis fluidorum, & ſolidorum, vocantur *qualitates phyſicæ.* Diſpoſitiones verò partium in ſenſus incurrentium, ut figura, ſitus, conformatio, connexio, numerus, *qualitates mechanicæ* dicuntur.

Requiritur autem ad ſanitatem non ſolùm certa organorum ſtructura, ſed etiam elementorum miſcela; ſi enim aorta non foret tubuloſa & ramoſa, ea ad finem, cui deſtinata eſt à ſapientiſſimo artifice, non conſpiraret; & pariter ſi non foret elaſtica, flexilis, alba, humida, &c. deficeret ea elementorum miſcela, quâ apta redditur ad ſua munia edenda. Ex hâc partium ſimilarium, & organicarum diſtinctione oriunda eſt diviſio Pathologica morborum

ſimilarium ſeu intemperiei, & morborum organicorum ſeu ſtructuræ. *Vide* Perdulcis Pathologiam.

Ad ſanitatem itaque requiritur conſenſus omnium actionum potiſſimùm naturalium inter ſe, nec-non functionum & excretionum atque conſenſus qualitatum mechanicarum & phyſicarum: adeòque requiritur partium integritas, robur, & pulchritudo ſeu conformatio, color, &c. quales ætati, ſexui, temperamento conveniunt.

Hinc ſequitur hominem fore imperfectum, ſi organa ſuperflua habuerit, aut illis deſtitutus fuerit quæ ejus ætati conveniunt. Ut ſi puer barbatus ſit,aut adultus edentulus, ſi adultæ catamœnia deficiant, aut vetulæ adveniant; imperfectus erit pariter, ſi alienas functiones edat, aut illas non obeat, quæ ſexui & ætati conveniunt, ut ſi infans præcoci ingenio præditus ſit, ut Rachiticus; vel ſi adultus ſit ratione

deſtitutus ut infans. Si quæ vigilans agere debet, agat dormiens, ut ſomnambulus; aut ſi interdiu continuò dormitet, ut lethargicus. Vitioſa erit conformatio, ſi infans recens natus molem capitis non obtineat majorem relativè ad molem corporis, quam obtinet adultus.

Hinc ſequitur imperfectionem functionum non eſſe abſolutam, ſed tantùm eſſe ad ætatem, ſexum, &c. relativam; cùm eadem pulsûs frequentia ſit perfectio infanti, & febris ſeni, eadem balbuties perfectio infanti, vitium adulto, &c.

2°. *De Ægritudinis hiſtoriâ.*

10. Pathologia eſt ſecunda medicinæ pars quæ ægritudinem hominis cognoſcendam præbet.

Ægritudo ſeu *ſtatus imperfectus*, *vita imperfecta*, eſt complexus actionum vel diſpoſitionum ætati, ſexui, temperamento non convenientium.

Sufficit ad ægritudinem ut vel unica actio determinato gradu non conſpiret cum aliis actionibus naturalibus ad finem felicis longævitatis, aut ut vel unica partis diſpoſitio ſit mutata, aut à conſuetudine ſanorum aliena, undè non ſolus actionum, ut voluit illuſt. Schreiberus; ſed & etiam diſpoſitionum diſſenſus aut diverſa tendentia ægritudinem conſtituit.

Cognitionis humanæ duplex eſt principium, ſcilicèt vel ſenſus, vel intellectus; cognitio à ſenſu dicitur *Experientia* quæ definitur attentio animi ad ea quæ in ſenſus incurrunt. Cognitio ab intellectu dicitur *Ratio*, quæ definitur facultas cognoſcendi nexum veritatum univerſalium; vel Ratiocinium quod eſt rationis operatio.

Experientia vel eſt cuique propria, & dicitur *autopſia*; vel eſt aliena, aut ab aliis mutuata, & *hiſtorica* vocatur.

Quidquid ſenſibus obvium confu-

sè percipitur, *phænomenum* ſeu apparentia dicitur, adeòque experientia eſt attentio ad phœnomena, quæ ſunt vel ſpontanea, vel arte excitata. Experientia phœnomenorum ſpontaneorum *obſervatio* eſt; arte excitatorum, *experimentum* eſt, quod cum tentamine, vel periclitatione vulgò confunditur.

11. Phœnomena in homine alia ſanitatem, alia ægritudinem declarant. Priora *ſana* cognominantur, poſteriora *ſymptomata* dicuntur vel *phænomena morboſa*.

Symptoma eſt quidquid præter naturam animali accidit. Galen. *de Symptomat. differentiis.* In praxi vulgò quidquid in ægro à ſanitate diverſum obſervatur, *ſymptoma* dicitur, nullâ habitâ ratione ad cauſam, cujus eſt effectus, quod ſæpè nos omninò latet.

12. *Symptomata* vulgò triplicis ſunt ordinis, ſcilicèt in functionibus, in excretionibus, & in qualitatibus.

Functiones ſunt organorum conſpicuæ actiones, ut geſtus, loquela, maſticatio, pulſus, reſpiratio, ambulatio.

Excretiones ſunt contentorum ut plurimorum excrementorum ejectiones, ut exſpuitio, illacrymatio, mictio, &c.

Qualitates ſunt diſpoſitiones partium ſolidarum vel fluidarum ſenſibus obviæ, ut color, odor, figura, mollities, conformatio, &c. Omnis ægritudo cognoſcitur à ſymptomatis vel per experientiam; ſic febris ſtipatur ſymptomatis *ſimultaneis* ut pulſu frequenti, virium relativâ imminutione, tum *ſucceſſivis* ut frigore, dein calore, demùm ſudore; ſic pleuritis obtinet ſymptomata in *functionibus* læſis, ut reſpirationem difficilem, dolorem pectoris pungitivum, pulſum frequentem, tuſſim: tum in *excretionibus*, ut ſæpè ſudorem, exſpuitionem: tum in *qualitatibus*, ut calorem, ruborem, &c.

Sympto-

Symptomata alia ſunt morbo aſſidentia, vel aſſidui comites; alia ſupervenientia, ſeu *epigenemata*: utraque ſi ad morbum cognoſcendum & ab alio diſtinguendum ſufficiunt, vocantur *pathognomonica*, ut tuſſis & exſpuitio ſanguinis in Hæmoptyſi. Secùs *accidentalia* dicuntur, ut ſudor in pleuritide.

13. Ægritudo empiricè vel hiſtoricè ſpectata, eſt quodvis phœnomenum morboſum, ſeu ſymptomatum concurſus.

14. Ægritudo dividitur in ſimplicem & compoſitam. Ægritudo ſimplex, & vix notabilis (ſeu cujus intenſitas, extenſio ac duratio Medici attentionem non meretur) dicitur *vitium* vel *affectus* Græcis *pathos*, *diatheſis*, ut dolor levis & fugax, dejectio fecum liquidior ſed tranſitoria, verruca, nævus, vulnuſculum à quo functiones vix impediuntur; ea vocantur in ſcholis morbi pathologici, *indiſpoſitions*.

Ægritudo compoſita & notabilis, ſeu concurſus ſymptomatum connexorum & notabilium, vocatur *morbus*, *maladie*, Græcis *noſos* vel *noſema*: tales ſunt pleuritis, hæmoptyſis, dyſenteria, apoplexia, aurigo, aſcites, &c.

Humana cognitio triplex eſt; ſcilicèt *hiſtorica* vel empirica, quæ eſt cognitio nuda factorum, ſeu eorum quæ ſunt, vel fiunt. *Philoſophica*, eſt cognitio cauſarum & principiorum; ſeu cur ea ſint vel fiant: & demùm *mathematica* ſeu cognitio quantitatum & proportionum; omnium utiliſſima & perfectiſſima. Primam in Pathologià promoverunt Empirici, ſecundam Dogmatici, tertiam adhuc deſideramus. *Videſis* Schreiberi *Elem. Medicinæ*, n. 139.

De Ægritudinis causâ & principiis.

Cognitio philoſophica ægritudinis dicitur *aithiologia* ſeu doctrina mutui

nexûs qui eſt inter ſymptomata, ac eorum principia & cauſas.

15. *Principium* dicitur illud ex quo alterius poſſibilitatem intelligimus; in ſcholis vulgò dicitur *cauſa remota*; ſic cordis vis eſt principium vitæ, quia ex illius vi, ſeu actione intelligimus cur ſanguis circulari poſſit, cur arteriæ pulſare valeant, &c. Cordis ſtructura, firmitas, ſunt pariter principia vitæ.

Principia, alia ſunt activa, alia paſſiva. Sic ſtimulus nervos vellicans, ejuſque actio ſunt principium doloris; contractio ventriculi principium vomitûs activum. Laxitas orificii ſiniſtri ventriculi, hujus ſtructura, pilori conſtrictio, obſtipatio ſunt vomitûs principia paſſiva.

Principia dividuntur in occaſionem, conditionem, circumſtantias, materiem, inſtrumentum, &c; dicuntur in ſcholis cauſa occaſionalis, prædiſponens, ſeu prægumene, excitans ſeu procatarctica, materialis, &c.

Poſito principio, poſſibile eſt ut ponatur effectus quæſitus, ſed non ideò ponitur, vi definitionis, quia à poſſibilitate ad actualitatem non valet concluſio. Undè definitur in ſcholis principium morbi illud quod ad morbum quomodòcumque concurrit; cauſa verò quod morbum producit. *Vide* Galen. Hiſtor. *philoſoph. de differentiâ principii & cauſæ.*

16. *Cauſa* propriè dicta, eſt illud ex quo alterius actualitatem ſeu exiſtentiam intelligimus, Wolf. *Ontol.* 881. Definitur à Galeno *Finit. med.* *Cauſa* eſt quæ in corpore quidquam facit, experſque eſt ipſa corporis.

Ratiocinari eſt unum ex alio inferre ſeu colligere; ſi itaque actualitas effectûs ex altero ſeu causâ intelligatur vel inferatur, illa illatio eſt intellectûs, non verò ſensùs operatio. Cauſa itaque, quatenùs cauſa, nequaquàm in ſenſus incurrit, ſed tantùm in intellectum, demonſtrante Hambergero *Præfat. Phyſicæ.* Neque

experientiâ ſolâ cauſa poteſt demonſtrari, niſi per inconſtantiam loquendi pro causâ habeamus principium, vel ſubjectum cauſæ.

Exiſtentia ſeu actualitas eſt poſſibilitatis complementum, ita cauſa eſt principiorum complementum; ita ut principium ad effectum quidem concurrat, ſed non ſufficiat. Sic ventriculi niſus ad contractionem eſt principium vomitui neceſſarium, ſed non cauſa, quia non ſufficit, & requiritur ulteriùs ad vomitum actualem ut illa contractio ſuperet æſophagi, & materierum ejiciendarum reſiſtentiam.

Illam verò in ratiocinando acribeïam neceſſariam quidem putamus, verùm in vulgari ſermone nimia foret ſeveritas principii & cauſæ accuratam diſtinctionem ſervare. Hoc tantùm monuiſſe ſufficiat quòd cauſæ allata definitio conveniat cauſis, quas proximas, efficientes, ſufficientes, continentes dicunt alii.

Si plures cauſæ concurrunt ad effectum compoſitum, ſeu ad effectuum congeriem, ſingulæ *concauſæ* dicuntur; ſed unius effectûs ſimplicis eadem erit cauſa, niſi pro causâ principium vel ſubjectum cauſæ habeamus. Hamberger. *Phyſ.* 18. indè fluunt axiomata, *poſitâ causâ, neceſſariò ponitur effectus*, quia *nulla eſt cauſa ſine effectu, nec effectus ſine causâ*, cùm mundus ſit ab Ente ſapientiſſimo, nihil eſſe aut fieri poteſt ſine ratione ſufficiente, demonſtrant Leibnitz, Wolf. &c. nihil fortuna, nihil fatum producere poſſunt.

17. Ratio ſufficiens actuum principii ſentientis vel intelligentis, dicitur *motivum*; ſic inclinatio animæ ad bonum ſenſu perceptum, eſt motivum actionum naturalium.

18. *Conſuetudo* agendi eſt habitus agendi vi motivorum præteritorum quorum confuſa eſt memoria. Sic conſuetudine ducti pane appoſito veſcimur ſæpiùs anteà manducato,

nullâ factâ inquiſitione an ſalutaris an nocuus ſit; conſuetudo eâ ratione altera natura dicitur, quia nos determinat ad agenda ea, quæ pluries utilia ſumus experti.

Quoniam natura ſanitati corporis invigilat, cùm appetitus bona ſenſibilia ſemper ſectetur, & mala fugiat, atque natura actiones ab appetitu ſuaſas exequatur. *Natura* eſt principium actionum quibus bona ſenſibilia ſectamur, & mala ſenſibilia rejicimus. Verùm bona ſunt ea quæ nos, ſtatumque noſtrum perfectiores reddunt, adeòque ſanos. Ergo natura eſt ſanitatis tutrix. Mala ſunt quæ nos imperfectiores reddunt, ſeu ægrotos; natura itaque eſt ægritudinis medicatrix ut pronuntiaverat Hippocrates.

19. Principia morborum, alia ſunt noxia, alia verò utilia; principia noxia ea ſunt quorum vis machinam noſtram diruit, vel actiones vitales impedit, vel integritatem lædit, &

ad interitum diſponit, ea reducuntur ad ſtimulos & ad obices; talia ſunt fluidorum & ſolidorum vitia quæ pendent ab ingeſtis, applicatis, retentis, &c. vitioſis, atque ipſamet ingeſta, retenta &c. vitioſa.

20. Principia utilia vel ſalutaria morborum ea ſunt, quorum vis & actio tendit ad cauſarum noxiarum correctionem vel ejectionem, adeòque ad ſanitatem ſervandam vel recuperandam. Sic eò vergunt omnes actiones liberæ, ut nos ab injuriis externis tueamur, & ut, quæ ad victum, veſtitum, & voluptatem neceſſaria ſunt, accerſamus. Omnes actiones naturales ut animi pathemata eò tendunt, ut bona ſenſibilia nobis comparemus: mala verò à nobis arceamus.

Sic ſi quis optimum alimentum aſſumpſerit, & tamen errore mentis illud venenum eſſe imaginatus fuerit, is illicò nauſeâ, cardialgiâ, & vomitu excitato, illud foràs ejicere

conabitur. Si quis etiam amicus digitum oculis noſtris ſubitò admoveat, illicò caput retrahimus & nictatione oculorum conſervationi proſpicimus.

21. Scholium. *Naturæ* nomen per inconſtantiam loquendi, ſummis in arte viris nimiùm familiarem, in diverſos ſignificatus abripitur. Sunt qui naturæ nomine *Deum* intelligunt, atque in hoc potiſſimùm ſitus eſt Spinoziſmus, quòd Deum cum mundo ſeu *univerſo* confundat hæc Secta. Sed hujus erroris ſuſpicionem effugere eſt facile, nomina cuique enti propria adſcribendo, & metaphorica dimittendo. Alii naturæ nomine *eſſentiam* audiunt, ut cùm agunt de naturâ morbi, quod eſt verbum abſurdum apud Medicos, qui in eodem opere morbos naturæ committendos eſſe, aut morbos eſſe contra naturam pronuntiant: Si enim, ut fieri debet, definitio naturæ (eſſentiæ) in locum alterius ſubſtituatur,

ſequetur naturam morbi eſſe contra naturam (eſſentiam) vel diſcurſus omninò mentis inops his verbis ſignificabitur. Non minor eſt confuſio, ſi eodem nomine humanæ machinæ ſtructura deſignetur. Si nomina eadem diverſis rebus aſſignantur eodem termino audito, vix poſſibile eſt authoris ſententiam intelligere, niſi fortuitò. Ergo qui eoſdem terminos in diverſis ſignificatibus adhibet, ille loquitur ut non intelligatur. Naturæ ſignificatus apud medicos acceptiſſimus, eſt retinendus, definitione firmandus, cæteri ablegandi. Sic *naturam* vocamus cum Galeno illud principium, quod ciet motus in corpore neceſſarios, ſive conſentiat ſive recuſet voluntas. Eumdem ſignificatum ſervat Hippocrates ubi dicit *naturam* eſſe *morborum medicatricem*, & cum pronuntiat, *natura licèt inerudita, quæcumque opus ſunt, efficit; & quò natura vergit, eò ducendum eſt per loca convenientiora.*

Solus inter antiquos Aſclepiades aſſerere auſus eſt naturam morbis non mederi, undè his verbis in eum invehitur Galenus (Tom. I. pag. 918.) *In eo omnibus refragatur Aſclepiades non ſolùm Medicis, ſed etiam cæteris hominibus, quòd naturam pro hominis ſalute quidquam moliri neget.* Inter neotericos verò nemo negat dari in homine principium quod in humanæ machinæ conſervationem multos conatus inſtituit: undè ait Sydenhamius *morbum eſſe conamen naturæ, quæ materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem molitur.* Et *Medicus naturæ miniſter & interpres* à Baglivo vocatur, atque *ejus honor*, ex Boerhaavio, *in eo conſiſtit ut naturæ ſerviat.* Orat. 8.

In hoc ſolùm litigant neoterici quòd alii naturam eſſe principium ſentiens, & proindè immateriale: alii verò materiale putent: verùm hæc quæſtio merè philoſophica eſt, & nimiùm multis difficultatibus ob-

voluta, quàm ut hîc dilui poſſit. Nos cum Galeno, Riverio, Dulaurentio, aliiſque Academiæ Monſpelienſis antiquis patribus, nec non cum Boerhaavio, Frid. Hofmanno credimus naturam eſſe principium eorum conatuum, qui in ſanitatis tutelam & ægritudinis medelam, renuente etiam voluntate, in morbis, ut in pathematis, inſtituuntur.

Motiva quæ naturam ad agendum determinant, ſunt vel bonum vel malum ſenſatione aut imaginatione perceptum. Ex ideâ boni cibi natura in eſuriente omnes motus & ſecretiones exequitur ad ejus aſſumptionem, maſticationem, & deglutitionem neceſſarias. Illa ſalivam in os ubertim emittit, illa muſculos etiam nobis ignotos eo ordine, eâ vi contrahit, quâ ad deglutitionem opus eſt, ea in dormiente etiam ſalivæ deglutitioni proſpicit; illa in pruritu ſcalptum imperat, in ambuſtione improvisâ partem ambuſtam retrahit.

Ex ideâ mali natura determinatur ad eos motus exequendos, qui malo removendo ſunt neceſſarii, licèt non ſemper ſufficiant, imò licèt illi conatus, ſine ſalutares, eventu funeſti quandòque ſint. Sic illapſo in oculum pulvere, palpebræ nictationibus ſuis everrunt, lacrymæ rivulis jugibus eluunt, digiti frictibus auferre conantur quod noxium eſt. Idem accidit ſtomacho poſt veneni aſſumptionem. Ita ut nulla ſit pars quæ modo ſibi proprio, & juxta organa ſua, non conetur, quæ bona percipiuntur, admovere, retinere; quæ noxia corrigere, & eliminare nobis invitis & non advertentibus.

Non ſolùm autem pars malo tentata niſibus propriis ſibi proſpicit ut nares ſternutatione, os exſpuitione, ventriculus vomitu, pulmones tuſſi; &c. verùm & alia organa, quorum actio utilis eſſe poteſt, manus auxiliatrices porrigunt, velit vel nolit homo, appetitûs vehementiâ

creſcente, prout neceſſitas exigit: ſic intruſo intra fauces oſſe, animal caput inclinat,ut proprio pondere os elabatur, caput dein ſuccutit, nauſeat, tuſſit, imò pedes intra guttur adigit ut ſe ab hoc ſtrangulatu liberet; nec conatus intermittit, licèt exindè promptior cieatur inflammatio gutturis, licèt acceleretur partis cruentatio, laceratio, ac licèt fruſtrà tentatis omnibus, citiùs vires exhauriantur, & mors accedat promptiùs; undè inducebatur Aſclepiades ad aſſerendum naturam etiam nocere: verùm ex eo quòd quis in moralibus periculis arcendis, ut in hoſte per vim repellendo ſibi eventu quandòque noceat, non minùs verum eſt ejus conatus tum naturales, tum liberos eo fine eſſe inſtitutos ut ſuæ tutelæ proſpiciat.

Cùm guttula aquæ inſipidæ, inter ridendum hauſtæ, adhæſit chordis vocalibus, & rimam glottidis partim obturavit; vel cùm veſica ſuilla

circa caput canis aptata fuit, deficiente intra aliquot minuta aëre, magnæ anxietates ſuperveniunt, quæ conatus, ſine ſalutares, determinant periculo, & potentiæ motrici ſuperſtiti proportionales. Tunc autem illa determinatè organa niſus edunt quæ ad eum finem poſſunt conſpirare, licèt omnes nervi ſint continui vel contigui, non cietur teneſmus, nec dyſuria, nec aliarum partium niſus; ex millenis diverſis actionibus quæ à pectore poſſunt edi ut riſus, ſingultus, oſcitatio, ſuſpirium, loquela infinitis modis variata, &c. unica excitatur, quia unica ad guttulam aquæ expellendam utilis; tuſſis ſcilicèt. Quis itaque cœcam ſympathiam; quis fortuitam nervorum preſſionem incuſabit, ubi datur organorum & motuum determinatorum ſelectus, nemini non obvius?

Alia ſunt bona *intellectualia* de quibus ſenſus non ſufficit ad judicandum, alia *ſenſualia* de quibus

ſenſus ſeu inſtinctus nos admonet; quæque ſæpè judice intellectu mala ſunt.

Hinc continua naturæ & libertatis ſeu cupiditatis, & rationis repugnantia; ſenſu duce abſinthium averſamur, & cùm etiam illud liberè deglutimus, voluntate ſcilicèt prædominante, interim illud abhorret & reſpuit natura. Sic Hydrops aquam miſerè appetit, inſtinctu duce, verùm intellectu & rationis vi illam bibere recuſat. Rabioſus cùm aſtantes dentibus impetere appetit, eos ſimul admonet ut ſibi caveant; chlorotica, quæ gypſum ſibi noxium eſt experta rationis imperio dolet & mœret quòd ad ipſum deglutiendum ab appetitu feratur. Tunc equidem natura nocet, cùm tamen appetitûs ſenſitivi leges ſequitur; undè Medicus naturæ quidem obtemperare debet, ut ait Baglivus, ſed eo fine ut ipſi dein imperet, atque juxta Hippocratem eò ducendum eſt, quò natura

natura vergit; nam *naturâ repugnante nihil medicina proficit*, ut ait Celſus; verùm Medici officium eſt *loca* eligere *convenientiora* per quæ ducendum eſt.

Dum Galenus capram vivam diſſecaret, in lucem editus eſt ejus fœtus, qui cùm primùm pedibus inſtitiſſet mucum ſuum excuſſit, & dein pede poſtico ſibi coſtas repetitò ſcalpſit; ex quo omnes diſcipuli præſentes exclamaverunt primò quòd hoc animal ſymptomatis medelam abſque doctore inveniſſet. Secundò quòd per hoc membrum ſolum id fieri poſſet. Tertiò quòd per hunc modum. Quod quidem, pergit Galenus, indicat apertè providentiam naturæ in animalibus, per quam & ſecundâ valetudine fruentia conſervantur, & ægrotantia morbo liberantur. Hæc Galenus *in Epidem l.* 5. ubi de natura medicatrice, quam dicit eſſe, *vim in animalibus habitantem* & *eorum operationum rec-*

tricem providam, quæ in hominibus ipſis eos motus exequitur quos voluntas vix poſſet, quæque muſculos etiam nobis ignotos & modis ignotis, non ſecùs ac voluntas in ſuos fines adhibet; quæ vias ſibi novas invenit & cudit ad materiæ morbificæ eliminationem, quæ verbo, ſine doctore, omnia, quæ opus ſunt, efficit. Hæc Galenus ex Hippocrate.

Hos duces ſecuti exiſtimamus naturæ conatus eſſe Medicis apprimè diſtinguendos; & in ipſis conſiſtere præcipua morborum ſymptomata activa & fine ſuo, ſi non eventu, utilia, quorum tamen conatuum non otioſus ſpectator, ſed ſapiens director debet eſſe Medicus, cujus officium eſt, teſte Sydenhamio, ut *naturam languentem excitet; & furentem refrænet.*

Non poſſum autem illis eruditis adſtipulari viris, qui naturæ providentiam omnem recuſant, quique ejus conatus tamquàm in concinnos motuum ſympathicorum effectus,

ſine ſapientis moderatoris lege, adeò que ſine ullo fine productos & ſoli Spinozæ fato, vel Ethnicorum fortunæ tribuendos admittunt. Quod verò me maximè ab ipſorum opinione dimovet, eſt continua legum Hydraulices & Mechanices cum hâc opinione diſſidentia, imò contrarietas; falſum etenim eſſe quidquid vel uni veritati repugnat extra dubium eſt, propoſitiones autem mechanicæ, quàm multas eſſe neceſſariò veras, hoc nemo inficiabitur; cùm itaque omnis conatus ex reſiſtentiâ adauctus neceſſariò ſupponat juxta mechanicam, vim motricem adauctam, atque omnis materies adeòque machina per ſe reſiſtat motui, ſeu polleat vi inertiæ, neceſſum eſt omninò ut in homine præſtò ſit motrix potentia quæ has reſiſtentias percipiat, & ad haſce ſuperandas conatus ſuos intendat. Motus enim in machinis adaugeri, non ſublatis, imò adauctis reſiſtentiis,

niſi potentia motrix fortiùs agat, mechanicæ repugnat.

De ſignis ægritudinis.

22. *Signum* dicitur illud ex quo alterius præſentia, præteritio vel futuritio colligitur. Seu illud cognitum ex quo in alterius ignoti cognitionem devenimus. Sic fumus ignis latentis, & ignis fumi ignoti ſignum eſt.

Signum eſt, vel extrinſecum rei ſignatæ, ut fumus reſpectu ignis, & tunc ſigni nomen genericum retinet; vel ipſi intrinſecum eſt, ut ſignum datæ plantæ eſt tot petalis, ſtaminibuſque gaudere, & illud ſignum *nota* vel character vocatur.

Nota eſt illud rei intrinſecum per quod cognoſcitur, & ab aliis diſtinguitur.

Signum triplex eſt, diagnoſticum quod ſtatum præſentem; prognoſticum quod futurum; anamneſticum

quod præteritum indicat. Sic pulſus frequens arteriæ ſignum eſt, cor frequenter contrahi; rugitus inteſtinorum diarrhæam acceſſuram prænuntiant; foveolæ cutis variolas præceſſiſſe monent.

23. Quidquid eſt alterius cauſa vel effectus, illius ſignum eſt certum; poſitâ enim cauſâ, effectus neceſſariò ponitur: adeòque ex eâ certò colligimus effectûs præſentiam vel futuritionem. Sic pulſus frequens, eſt ſignum certum frequentis cordis contractionis, & reciprocè.

Quidquid eſt alterius principium, illud ejus eſt ſignum conjecturale. Principium enim eſt illud ex quo alterius poſſibilitas intelligitur, adeòque eo poſito intelligimus alterum dari poſſe. Sic quia inteſtinorum contractio, quæ rugitum facit, eſt principium diarrhææ, ex rugitu diarrhæam conjecturâ præſagimus.

Quæcumque à communi principio dependent, ſunt ſibi ſigna conjec-

turalia mutuò. Sic hyrundinum acceſſus & plantarum floreſcentia ab eodem calore atmoſphæræ tamquàm principio dependent, undè unum eſt ſignum alterius.

Signa morborum intrinſeca ſeu notas, ſignis extrinſecis multò anteponendas eſſe quiſque ſatis percipit; adeòque notas morborum accuratè deſcribendas eſſe extra dubium eſt. Notas autem omnium optimas præberent morborum cauſæ ſi forent ſatis cognitæ; ſed hâc cognitione deſtitutis, imò & horum ſede anatomicâ rarò cognitâ, ſuperſunt tantùm ſymptomata, quæ morborum notas nobis ſuppeditare valeant.

Symptomata itaque notas morborum, ſeu eorum ſigna intrinſeca nobis præbent certiſſima, ſigna verò tantùm conjecturalia ex principiis deducemus.

24. Principia morborum ſunt duplicis generis; ſcilicèt prœgumena ſeu prædiſponentia; ea conſiſtunt

in fluidorum ſolidorumque vitioſis diſpoſitionibus quæ *morbi pathologici* dicuntur, quæque ſunt morborum elementa. De his in primâ Pathologiæ parte.

Principia *procatarctica* ſeu excitantia, ſunt ea externa quæ vim œconomiam noſtram mutandi obtinent. Reducuntur ad *ingeſta* ut alimenta, *applicata* ut aër, veſtes, *retenta* ut feces, urina; vel ſunt ipſæ hominis actiones tum liberæ, ut curſus, clamor, labor & quies, tum naturales ut pathemata vivida, languida, tum mixtæ, ut in ſomno & vigiliâ, quæ actiones vulgò *geſta* vocantur; de his in altera Pathologiæ parte ſumus acturi, quæ ambæ partes continent Aitiologiam.

Principiis morborum expoſitis ad morbos ipſos ſeu ad noſologiam deveniemus. Ubi morborum claſſes, ordines, genera & ſpecies ſummatim exponemus.

Aitiologia Pathologiæ.

25. Aitiologia, à Græco *aitia* ſeu cauſa, eſt ea Pathologiæ pars quæ ægritudinis cauſas, & principia tradit.

Principia proegumena ſunt, vel procatarctica; proegumena ſunt ipſa fluidorum & ſolidorum vitia quæ morbis compoſitis elementa præbent.

Dividuntur vitia ratione ſubjecti in vitia ſimilarium, & in vitia organicarum partium.

Partes ſimilares, ſeu quarum ſingulæ moleculæ toti ſunt ſimiles, aut à ſe invicem non niſi ſitu diſtinguuntur, ſunt propriè corporis elementa, ut ignis, aër, aqua, terra, &c. Harum vitia nulla novimus præter miſcelam incongruam Græcis *dyſcraſiam*, Latinis *intemperiem*.

Mixtio eſt duorum vel plurium miſcibilium ſeu ingredientium in

exiliſſimas

exiliſſimas moleculas diviſorum talis interpoſitio, ut reſultet tertium quid, cujus qualitates à miſcibilium qualitatibus differant. Pulvis pyrius exemplum præbet.

Mixtio dicitur *perfecta* ſi in ſingulis partibus ſenſibilibus mixti eadem ſit ingredientium proportio, quæ in toto mixto; ſecùs imperfecta dicitur.

Craſis ſana ea eſt quæ ad ſanitatem conducit, nobis per effectus tantùm cognita; vitioſa verò dicitur ſi ſana ingredientium proportio mutetur. Sic ſi aqua prædominetur, datur dyſcraſia ſeroſa; ſi igneæ particulæ, datur caliditas excedens; ſi ſalina corpuſcula, datur acrimonia, &c.

Hoc tamen ordine ablegato, vitia intemperiei reducemus ad ſymptomata ex ipſis producta, ut ad calorem, frigus, rigiditatem, laxitatem, aut inter vitia fluidorum exponemus.

Partes organicæ, ſeu quarum figura eſt determinata, ratione cujus ad determinatos motus edendos aptæ ſunt, ſi vis motrix applicata fuerit, ſunt omnes partes ſolidæ corporis humani, quarum aliæ ſunt ſimplices, ut villus, fibra, vas, membrana, glandula, &c. Aliæ compoſitæ ut ventriculus, cor, veſica, muſculus, artus, &c.

SECTIO PRIMA

AITIOLOGIÆ.

De vitiis ſeu affectibus ſimplicibus, cauſis & principiis morborum proegumenis.

26. UT inanem leptologiam & ſubtiliorem diviſionem vitemus, cauſas ægritudinum proegumenas, atque *vitia* ſeu *affectus* chi-

rurgicos quatuor capitibus amplectemur, à ſimplicibus ad compoſita progredientes. Agemus itaque 1°. De vitiis ſolidorum ſimplicium, ſcilicèt de *rigiditate* & *laxitate* fibrarum ac viſcerum & partium. 2°. De vitiis ſolidorum compoſitorum in *contiguitate*, *continuitate* & *figurâ*. 3°. De vitiis fluidorum in *qualitate* & *conſiſtentiâ*. 4°. De vitiis fluidorum ſimul & ſolidorum reſpectivis in *plethorâ*, *inanitione*, *velocitate*, vel *tarditate*, *obſtructione*, *evacuatione*, de *qualitatibus* & *viribus*.

27. Quòd autem ipſa vitia nunc cauſæ, nunc ſymptomata ſint, illud exemplo patebit: verruca, vulnus, &c. Si extus appareant, *affectus* chirurgicos, *vitia* ac proindè ſymptomata levia conſtituunt: & ſi verruca meninges premat, ſi vulnus pulmonibus inflictum ſit, ea ſymptomatum gravium, ſeu morborum ut epilepſiæ, hæmoptyſeos erunt cauſæ, vel principia.

CAPUT PRIMUM.

De vitiis ſolidorum, ſcilicèt fibrarum, ſimplicibus.

28. SOlida ſimplicia peccant volumine & denſitate; hinc quadruplex vitium, *craſſitudo*, *exilitas*, *durities*, *mollities*. Adde *erethiſmum* & *torporem*.

29. *Craſſitie* peccant ſolida, ſeu magnitudine, cùm majus quàm functionibus ſuis obeundis par eſt, ſpatium occupant. Craſſitudo menſuratur ex producto altitudinis & latitudinis per profunditatem. Sub pari denſitate, ea eſt ut pondus: Alia craſſitudo eſt cùm raritate, alia cum denſitate partis. Rursùs alia in toto corpore, alia in parte.

Cauſæ ſunt, connata certis familiis diſpoſitio, quæ in villorum

flexilitate & diſtractilitate ſita videtur: *victus* ex cibis eupeptis copioſum, humidum alimentum præbentibus, *exercitium* modicum aut nullum, vita deſes, otioſa, vis digeſtiva & nutritia tamen valida, vaſorum & membranarum flexilitas nimia, calor humidus, &c.

Phænomena, ex his ſunt vel in parte, undè excreſcentia, de quâ *Cap.* 4. vel in toto, undè magnitudo, & craſſities corporis quæ corpulentia vel *polyſarcia* audit, ſimul & animalium functionum *languor* ob fibræ nerveæ craſſitiem, undè Barytonæ evadunt; *motus* muſcularis tardus; nam eadem animæ potentia molem majorem non niſi tardiùs movere valet. Si adeps ſummè creverit, ut fieri aſſolet, erit *difficultas* reſpirandi, maximè à motu, jejunii euphoria; ab exſiccantibus, exercitio aſſiduo, leni, levamen.

30. *Exilitate* peccant ſolida, quæ ex dictis, contrariorum ratione,

patet. Patent & differentiæ.

Cauſæ ſunt connata mulieribus diſpoſitio, maximè verò iis quæ molliter & delicatè educantur, item in urbe, non verò rure, degentibus; *ætas juvenilis*, vita minùs exercitata, *regio calida*, orientalis potiùs quàm borealis. *Longi morbi* calidi; cibus parcior, exſiccans.

Phænomena in fibris nerveis, facilis animi commotio, ad animi pathemata & ad hyſteriam proclivitas, levitas tamen, & inconſtantia, imaginatio vivida, ingenii acies. Anima debilitatis organorum ſuorum conſcia in negotiis moralibus & morboſis turbatur, deſperat, proſternitur.

In fibris carneis, textus mollis, omnes artus exiliores, oſſa tenuïora, vis vitalis & muſcularis exigua, ſenſibilitas ſumma, medicaminum turbantium difficilis toleratio. Juvamen à lacticiniis.

31. *Duritie*, denſitate, tenſione, tono peccant ſolida, cùm ſuæ flexioni

magis reſiſtunt, quàm ad eorum munia requiritur.

Ea reſiſtentia pendet vel ab attractione mutuâ illorum, aut fluidi molecularum, quæ ſolæ pro ſolidis habentur; vel à nativâ moleculárum gravitate (quò pertinet denſitas) vel à diſtractione, cujus ope villi nervei per latera magis adunantur & quid durius faciunt; hinc patet quid rigiditas, denſitas, & tenſio partium; ex omnibus major diviſioni reſiſtentia. Spectatur durities in toto vel in parte.

Cauſæ. Fibras *indurant* vita laborioſa, aſſiduum exercitium corporis citra defatigationem, victus ex cibis craſſis, fibroſis, duris, vigente vi digeſtiva, & vi ſyſtalticâ partium; vita ruſtica, regio frigida, ætas ſenilis; aquearum partium avolatio; ponderum geſtatio; inſtrumentorum tractatio, &c. *Tenduntur* partes ſpaſmo, tractione, influxu liquidi intra tubos, exſiccantur effluxu; è textu

rigent viſcera excreſcentiâ vaſorum intrà ſpatium præfixum; fluidi tranaturi, maximè ſpiſſi hærentiâ, infarctu, dùm vaſa non pari paſſu cedunt; & modò à vi quâdam retrò urgente propellantur, nec elabatur pari paſſu fluidum. *Rigeſcunt* verò partes ab illis quæ fluida exſiccant ut ignis, ſudor, abſorbentia, quæ cogunt & coagulant, ut gradus caloris ebullitioni ſufficiens, ſpiritus vini, vinum tartareum, acida mineralia, figida, viſcoſa, &c.

Phænomena in fibris *nerveis induratis*, apatheïa, ingenii tarditas, ſed judicii firmitas, conſtantia, laborum tolerantia, in fibris *muſcularibus* inflexibilitas; & ſi perviæ ſint fibræ nerveæ, ac vires motrices vigeant, robur majus exſurgit, ut in ruſticis, viris, militibus. Si animi impetus torpeat, & riguerint nimis fibræ ut in ſenibus, hinc tremor, debilitas. *Tenſio* in fibris nerveis ſenſibilitatem facit & ingenii acumen, in carneis

elaterem ſeu vim, quâ fibræ diſtractæ ſeſe reſtituunt, modò vis diſtrahens evanuerit; ſemper tamen quò plus diſtractæ, eò validiùs premunt, vi quæ tenſioni reſpondet; tenſio in fibris motricibus motûs agilitatem, pulſationum celeritatem juvat, modò vis motrix frequentiùs aut celeriùs applicetur. *Rigiditas* quæcumque in tubis, eorum diaſtoli reſiſtit, hinc conatus naturæ ut tuſſis, palpitatio, ſpaſmus, &c. in ſtomacho anorexia, tympano ſurditas; utero ſterilitas; glottide raucitas; corneâ opacitas, &c. In viſceribus *ſcleriſma*, quod à skirro differt admodùm. In oſſibus fragilitas, in tendinibus oſſificatio, &c. Hinc morbi omnes à ſtricto Methodicorum.

32. *Mollities* morboſa, ejuſque differentiæ, laxitas, raritas, contrariorum ratione, ex dictis liquent.

Cauſæ ſunt laxior ſeu remotior, & rarior villorum minimorum con-

tactus, undè debilior attractio. *Laxatur contactus* villorum ſi deficiant vires circumprementes; ſic animalia laxantur in vacuo, à calore æſtatis: ſi deficiant fluida tubulos replentia ac diſtendentia, ut in metu, in gaudio, in laſſitudine, vitâ otiosâ, mentis inertiâ, ſomnolentiâ, ſexu amabili, ætate tenerâ; educatione molliori, urbanicâ; huc etiam concurrit cibus mollior, potus aqueus, non fermentatus, abſtinentia, morbus evacuatorius chronicus, &c. *Rarior fit contactus* per fluida textum fibræ ſubeuntia, ſeu villos ab invicem ſemoventia, undè illi per puncta ſe tangunt, quæ priùs per lineas; huc aqua potu, fotu, lotu, vapore applicata; huc virus ſcorbuticum, ſiphiliticum, gangrænoſum; huc calor humidus.

Phœnomena. Nervis laxatis fit ſensûs motûſque abolitio; vide morbos paralyticos; meningibus laxatis fit amentia; ſomnolentia,

ſtupor ; fibris carneis laxatis fit pareſis, debilitas. Laxatis vaſis fiunt tumores ſaccati, anevriſma, varix; hygroma : laxatis membranis fiunt prolapſus, herniæ, luxationes ; oſſibus emollitis datur anaſtheſia, oſteoſarcoſis, immobilitas. Quomodò differat hoc vitium à ſphacelo, œdemate, &c. alibi videatur.

33. *Erethiſmus*, irritabilitas, *eretiſme*, eſt ſenſibilitas adaucta cum vibratilitate, vel contractilitate majori. Alius eſt erethiſmus *totius* generis nervoſi & fibroſi, ut in hyſtericis, hypochondriacis, phreneticis, maniacis, podagricis. Alius eſt erethiſmus partium quarumdam, ut ventriculi, meningum, glandulæ inflammatæ, uteri gravidi, pulmonis phthiſici, &c.

Alius eſt erethiſmus nativus & certis partibus præ aliis proprius, ut tendinibus, aponevroſibus, nervis, perioſtæo, ventriculo, inteſtinis, qui deficit cerebro, medullæ, cartilagini, oſſi, &c.

Principia irritabilitatis ſunt 1°. Fibrarum nervearum teneritudo & tenuitas ; nam quo teneriores & tenuïores , eò faciliùs ab eâdem vi poſſunt rumpi. 2°. Tenſio, quia quò magis tenſæ , eò ruptioni propiores. 3°. Elaſticitas, quia tenſionem ſupponit nativam. 4°. Puſillanimitas, ſeu meticuloſa animi diſpoſitio, ratione cujus vel à minimâ impreſſione multùm percellitur anima. 5°. Philautia ſeu amor proprius, undè continuò ſibi cavent, nec quidquam tolerare poſſunt. Hinc puellæ, convaleſcentes, debiles ſunt magis ſenſibiles.

Phœnomena. Erethiſmus pro diverſis gradibus & pro partibus diverſis varia inducit ſymptomata. Minimus erethiſmus inducit in debilibus & delicatulis ſubſultus , vibrationes à minimâ causâ , undè in ventriculo nauſea , in inteſtinis diarrhææ, borborygmi ; major erethiſmus infert dolorem & motum muſcularem ,

vel tonicum, vel clonicum majorem; hinc in ventriculo cardialgiæ, tenſiones epigaſtrii, colicæ, in renibus ſuppreſſio urinæ, in vaſis criſpaturæ, conſtrictiones, anxietates, conatus irregulares. Maximus erethiſmus inducit dolores atrociores, inflammationes acres, ſpaſmos & convulſiones, vel motus fibrillares artuum, fremitus, ſtridores dentium, agrypniam, &c. Erethiſmus in ſphincteribus inducit difficultatem excretionum ut ſtranguriam, teneſmum, paracynanchem, &c. In tubis excretoriis oris ptyaliſmum, in tubâ inteſtinali diarrhæam, in veſicâ dyſuriam.

Torpor, engourdiſſement. Eſt ſtatus in quo impreſſiones leviores objectorum externorum vix aut nullatenùs percipiuntur; differt à paralyſi, ex eo quòd impreſſiones fortiores percipiantur; atque remittatur non verò tollatur facultas ſentiendi & movendi: alius eſt torpor generalis, cujus

principii ſedes eſt in cerebro & cerebello; alius torpor partialis in quibus cerebrum eſt intactum.

Principia torporis ſunt 1°. *Laxitas* fibrarum cerebri medullarium, vel nervorum extra cerebrum. Ea verò laxitas à ſeroſo latice in partibus, vel in cerebro effuſo dependet. 2°. *Compreſſio* fibris nerveis illata, tum à partibus oſſeis fractis, luxatis, excreſcentibus, tum à firmis ut phlegmone, skirro, ſarcomate, procidentiâ, &c; tum à fluidis mole auctis, congeſtis; ſic à plethorâ vaſorum piæ meningis premuntur fibræ corticis cerebri, necnon à fluidis viſcoſis, craſſis, pituitoſis quæ à primis viis in ſanguinem irrepſere, & quæ motum ſuffocant, ac preſſione ſenſum obtundunt; indè enim influxus & refluxus fluidi nervei adſenſum & motum requiſitus minuitur, vel præpeditur. 3°. *Obſtructio* vaſorum cerebri, ex quibus nervi continuò ductu, arte-

riolarum lymphaticarum fluidi nervei ſecretionem & diſtributionem præpedit; hanc inducunt fortè narcotici vapores, effluvia metallica, &c.

Phœnomena. Sunt 1°. Senſationum lentor, remiſſio. 2°. Ipſius imaginationis tarditas. 3°. Propenſio ad ſomnum. 4°. Indifferentia, ſeu immunitas à moleſtiis & à voluptatibus. 5°. Atonia partium omnium quæ in ſtatu ſano tonum à fluido nerveo ſortiuntur, elaſticitatis remiſſio. 6°. Motûs muſcularis tarditas, difficultas defectu fluidi nervei & elaſticitatis. 7°. Uberior ſeroſæ cujuſvis ſecretionis copia ut muci, urinæ, ſalivæ. 8°. Ingreſſus ſeri uberioris, craſſioris in minima vaſa relaxata facilior, hinc ſtaſes, œdemata, cachexia. 9°. Tardior propulſio, ejectio materierum, quæ à motu muſculari debent excerni. Ut fecum, fœtûs, &c.

Hinc quærenti quotuplex ſit vi-

tium in parte ſimilari ſolidâ ; facilis eſt reſponſio; triplex ſcilicèt in mole, in motu & in conſiſtentiâ, utraque adauctâ, vel imminutâ; huc intemperies veterum reduci facilè poſſunt.

CAPUT SECUNDUM

De vitiis ſolidorum compoſitorum.

PEccant partes organicæ dictæ *ſolutione contigui, dimotione contigui, & figurâ*. Adde etiam fibrarum vitia his communia. Ad *ſolutionem continui* pertinent *fractura*, *vulnus*, *caries*, *ulcus*. Ad *ſolutionem contigui* referuntur *luxatio*, & *procidentia*. Ad *figuram* vitiatam attinent *protuberantia* & *depreſſio*, de quibus ſigillatim.

34. *Fractura* eſt ſolutio continui in partibus duris, facta à cauſis mechanicis ut plurimùm externis, citra ſubſtantiæ

ſubſtantiæ diſſolutionem. Græcis *catagma* dicitur & obtinet in partibus oſſeis, cartilagineis, tendineis. Dividitur in ſciſſuram, puncturam, exciſionem, attritionem, &c.

Cauſæ ſunt corpora quæcumque ſolida, aut ſolidi vices agentia, maximè quæ vim cunei exercent, aut quæ ſummâ velocitate impetunt, aut ab ipſo corpore humano, caſu, pondere, motu, impetuntur. Cauſa integra eſt vis corporum major oſſium reſiſtentiâ: undè quæ oſſium reſiſtentiam minuunt, inter principia recenſentur, tale eſt frigus hybernum, ſpaſmus; quæ oſſis flexilitatem minuunt, & fragilitatem augent; caries, remollitio à ſcorbuto, &c. quæ molem, adeòque vim oſſibus detrahunt.

Phænomena, varia ſunt pro parte affectâ, eaque in functionibus, excretis, & qualitatibus. In cranio, ſunt ſopor, carus, convulſio, paraliſis; in pectore pleuritis, tuſſis,

ſuffocatio ; in artubus immobilitas ; dolor : hinc tumor, indè verò ſubſidentia, artûs brevitas : à tactu fragor ; à ſpecillo aſperitas. Curatur repoſitione quam ars, & coalitione quam natura præſtat.

35. *Vulnus.* Græcis *Trauma*, eſt ſolutio continui in parte molli cùm ſenſibili cujuſdam liquoris effluxu, facta à causâ mechanicâ citra ſubſtantiæ diſſolutionem. Dividitur in ſimplex, complicatum, ſuppurans, cruentum, à figurâ dicitur cæſio, exciſio, punctura, contuſio, &c.

Cauſa proxima vulneris eſt vis quæcumque ſolidorum tenacitatem ſuperans ; ſive interna, ut cùm vi ſanguinis rumpitur anevriſmus, cùm tuſſi rumpitur abſceſſus ; ſive externa, ut cùm ignito globo plumbeo, lapide, enſe, caſu corporis, ſauciantur partes. Vis ſolvens non ſimplex eſt, nam elaſtica vicinarum partium retractio præſto ſemper adeſt, quæ fibras ſemi-laceras ſolvit,

& labia vulneris tum ſeparat, tum ſeparata retinet. Intereà vis attractrix quæ labia vulneris adunabat in ſummo contactu, jam ad minimam eorum diſtantiam evaneſcit. Undè quamdiù perſeverat vulnus, tamdiù præſtò eſt ejus cauſa proxima. Qui verò inſtrumentum vulneris ab ejus cauſâ non diſtinguunt, in illum errorem veniunt ut dicant dari effectum ſinè causâ, & cauſam ſinè effectu.

Phænomena, alia communia omnibus, alia ſingulis propria vulneribus. Solutâ fibrarum continuitate, tamdiù creſcit vulnus, ſeu hiatus, quamdiù corpus ſcindens altiùs adigitur, & fibræ elatere ſuo retrahuntur; vulnus factum permanet, quia ejus cauſa, ſeu vis diſtrahens major vi adunante non eſt ablata, vel quia ex lege univerſali cuncta in ſtatu ſuo perſeverant, cùm æquilibrium obtinuere, aut cùm vires motrices novæ non accedunt. Sectis membranis,

partes contentæ fluidæ, vel ſolidæ undequàque magis preſſæ quàm in loco vulneris, huc affluunt; hinc à ſolidis herniæ, à fluidis, ſanguinis aut alterius liquidi effluxus; truncus vaſis tranſverſim ſecti ſe ſub labiis recondit; fibris circularibus contractis, ſpontè ſtringitur orificium; coagulato cruore ſiſtitur hæmorrhagia; areſcunt labia, calent, rubent, dolent, inflammantur, naturâ fibras deperditas novarum explicatione ſufficere & coagulum terere, expellere conante; quibus peractis ea quieſcit. Phœnomena partibus ſingulis propria ſunt; in capite eadem quæ à fracturâ; in pectore hæmoptyſis, ſuffocatio, mors; in abdomine, vomitus ac dejectio cruoris, aſcites cruentus; in muſculis immobilitas, &c.

36. *Caries*, eſt continui in parte durâ ſolutio, à causâ phyſicâ, non evidenti ut corroſione, ignitione, putredine, cum ſubſtantiæ diſſolu-

tione. A cauſâ fovente dividitur in ſyphyliticam, ſcorbuticam, cancroſam, ſcrofuloſam; à figurâ, in fiſtuloſam, ſinuoſam, &c.

Cauſæ. Fluidi putredinoſi hærentia in fiſtulis oſſeis præſertim in cavitate medullari, hujus acrimoniam alkalinam exacuit; putrida vim ſepticam corroſivam obtinent. Hinc ab oſſis contuſione, fracturâ, tumore ſanguis, vel lympha hæret, calore & quiete putreſcit, putrida cariem inducit, maximè ſi virus ſyphyliticum, ſcorbuticum, varioloſum, &c. acceſſerit. An ambuſtio, eſchara, inter caries ſiccas reponenda ſit?

Phænomena ſunt in functionibus, excretis, & qualitatibus mutatis. Caries occulta producit remollitionem œdematoſam carnis ſuperſtratæ, hujus diſſolutionem: intereà verò dolores, livedinem, nigredinem; dein manifeſta evadit caries per aſperitatem & fragilitatem oſſis

viſu, ſpecillo, detegendam; ichoris fœtidiſſimi, lividi,干 virideſcentis, ſanioſi effluxus, vicinorum eroſio, oſſis conſumptio ſequitur. A ſuppuratione oſſis, cariem diſterminat odor ichoris fœtidus, putriduſque, ut hic à vulnere diſtinguit ulcus. In cranio caries, cephaleas, epilepſiam; in pectore empyema, dipſnæam; in artubus fracturam parat, utrobique dolorem, &c.

37. *Ulcus* (Græcis *Elcos*) eſt ſolutio continui in parte molli, à causâ erodente, vel diſſolvente cum putredinis indiciis. Diſtinguitur inter practicos à vulnere ſuppurante, cui ſæpè ſuccedit; ulcus, ex fœtore, viciniorum eroſione, pertinaciâ, quæ in vulnere non reperiuntur. Ulcera ratione figuræ ſunt vel cava, vel ſuperficiaria, ſinuoſa vel fiſtuloſa. Ratione indolis alia ſicca, rubra, dolentia, alia ſordida, mollia. Sunt ſimplicia, ſunt ſcorbutica, cancroſa, venerea, varioloſa, &c.

Cauſæ. Debetur ulcus cauſæ compoſitæ, ſcilicèt vi cuidam vaſa diſſolventi, ut eſt ipſamet vaſorum pulſatio, & ſimul fluidorum putredini, acrimoniæ, miaſmatis. Vulgò vulnera ea abeunt in ulcera; in quibus, propter frigus admiſſum, compreſſionem à turundis, conſtrictiones ab aſtringentibus, neglectum, &c. Pus retentum putreſcit, vaſa criſpantur, areſcunt, vel etiam in quibus propter uſum emollientium aut debilitatem nativam vaſorum, cuncta laxantur, deterſio nulla fit; ac demùm quoties ſanguis lue quâdam ut cancerosâ, venereâ, variolosâ, ſtrumosâ reperitur inquinatus.

Phænomena. Generalia ſunt partis eroſio creſcens, fœtor horrendus, alkalinus volatilis; puris pravi, diverſi coloris, ſanioſi effluxus; qui ſi fiat in cavitate cerebri, epilepſias, ſtupores; in cavo pectoris, dyſpnæam, ciet. Si in tuba inteſtinali, nauſeas, diarrhæas; in abdomine

aſcites purulentos; ubique ferè maciem corporis cum amphimerinâ hecticâ febre; naturâ hanc putrem materiam repetitis vaſorum ictibus eliminare conante.

38. *Luxatio*, Græcis *Exarthrema*, eſt contigui ſeparatio in parte durâ: ut oſſeâ, cartilagineâ, tendineà. Oſſa ſimul componuntur ope enarthroſeos, arthrodiæ, & gynglimi; uniuntur verò immediatè per raphen, harmoniam, gomphoſim. Mediatè per ſynevroſim, ſiſſarcoſim, ſynchondroſim, &c. Hinc luxationum differentiæ, quæ rursùs vel completæ, vel incompletæ ſub luxationum, diſtorſionum nomine venientes, vel ſimplices, vel complicatæ cum fracturâ, vulnere, &c.

Cauſæ. Tamdiù oſſa in ſuis articulis retinentur, quamdiù acetabulorum firmitas, muſculorum tonus, ligamentorum & calyptrarum tenacitas, verbo vires retentrices majores ſunt, vel æquales viribus antagoniſtis,

goniſtis, ut artus appenſi ponderi, ictibus, lapſibus, conatibus muſculorum unius lateris, aliiſque cauſis, quæ eò majori momento agunt, quò longiori vecte utuntur. Principia ergo proegumena ſuntquæ acetabula complanant, undè parcior contactus. Huc exoſtoſes in ipſis enatæ, vel caries in oſſium capite, vel quæ ligamenta rodunt, ut ulcera, fiſtulæ; emolliunt, ut hydrops articuli, œdema. Huc nervorum reſolutio, tendinum ſectio: Hinc vis retentrix minor. Vis antagoniſta major erit à cauſis proegumenis, ut artûs pondere, tumore, à cauſis procatarcticis, ut lapſu, ſaltu, ictu, &c.

Phænomena generalia ſunt *tumor* in parte ad quam articulus excurrit, *excavatio*, vel mollities ex oppoſitâ; *artûs*, quoad longitudinem mutatio; nunc enim *brevior*, nunc *longior* evadit, niſi ſit mera diſtorſio. *Motus* articuli læditur, *aboletur* propter dolorem. aut impoſſibilitatem me-

chanicam ; *dolor* & diſtractio in viciniis compreſſis ; hinc inflammationes, paralyſes, gangrænæ, &c. Particularia Phœnomena, à depreſſis cranii oſſibus fiunt, quæ ab illorum fracturis, à luxatis colli vertebris mors ſubitanea; ſed de illis fuſiùs in Chirurgia.

39. *Procidentia.* (Græcis *Kele*) Eſt contiguitatis partium mollium ſeparatio. Sive internis partibus, ſive externis ea dimotio accidat, ſive à ſupernis ad imas prolabantur, ſive à dextris ad ſiniſtras, aut reciprocè transferantur. Hinc differentiæ & varia nomina.

Cauſæ. Sunt ut in luxationibus, retentricis facultatis debilitas, aut antagoniſtæ robur excedens ; nam hinc & indè tollitur æquilibrium, quò pars ſuâ ſede firmatur. Sic prolapſum oculi cauſantur exoſtoſis, tumor eum foràs extrudens, pondus proprium, ſi muſculi retinentes ſecentur, reſolvantur ; criſtallinum

è ſuâ ſede dimovent capſulæ ruptio, conatus validus; ſtomachum in pectoris cavum intrudunt curſus nimius, nauſeæ vehementes; hernias inguinales, ventrales foraminis ovalis, crurales, umbilicales inteſtinorum, omenti, veſicæ, uteri cient cauſæ ſimiles: hepar, renes, lienem è ſuâ ſede dimovent ligamentorum laxitas, ruptio, ponderis augmentum, vicinorum preſſio, &c.

Phæmomena generalia, ſunt tumor & durities in loco quem prolapſa pars occupat, in derelicto vacuitas. Dolor à diſtractis, compreſſis vicinis, functionum læſio: *Particularia*, ſunt ex oculi prolapſu cœcitas; ex uvulæ deſcenſu dyſpnæa, tuſſis; ex bubonocele, ileus: ex uteri, vaginæ, recti procidentiâ; ex enterocele, epiplocele, oſcheocele, exomphalo, &c. mala plurima.

40. *Protuberantia*, eſt partis extrà conſuetam libellam elevatio major quàm ad ejus functiones opus eſt.

Differentiæ ejus potiſſimæ quatuor ſunt; vel enim pars contenta fluida eſt, quæ continentem elevavit; vel pars contenta ſolida continentem ſolidam extulit. Rursùs utraque pendet vel à ſolidis, fluidiſve ſimpliciter intumeſcentibus, vel à fluidis, ſolidiſve in ſpatio amplo vel alieno cumulatis. Hinc oriuntur tumores ſolidi & humorales. *Solidi* ad *excreſcentias* & *lordoſes*; *humorales* ad *tumores* propriè dictos, & ad *cyſtides* revocari poſſunt. Omnium cauſa proxima eſt *vis partis contentæ major reſiſtentiâ continentis.* Hâc poſitâ ponitur, hâc ſublatâ tollitur protuberantia.

41. *Tumor* (Græcis *Onchos* & *Oïdema.*) Humoralis tumor, ea eſt protuberantia quæ debetur fluido cuicumque intrà propria, vel aliena, ſed minima vaſa cumulato. Dividitur in frigidum, calidum & neutrum. Ad frigidos attinent œdema, skirrus, emphyſema; ad cali-

dos, phlegmo, eryſipelas, furunculus; ad ancipites, ſtruma, bubo, cancer, anthrax. Rursùs vel tumores ſunt ſolitarii, ut priores; vel gregales, ut vari, variolæ, rubeola, eſſeræ, aphtæ, lepra, gutta-roſacea, &c.

42. *Cyſtis*, folliculus, tumor ſaccatus humoralis, eſt illa protuberantia quæ debetur fluido cuicumque, intrà propria vaſa maximè dilatata, vel aliena receptacula, congeſto. Dividuntur hi tumores in *ſolitarios*, quales ſunt dicti lupiæ, ut atheroma, lipoma, ſteatoma, meliceris, hygroma, vomica. Huc talpa & abſceſſus; ſunt etiam anevriſma, pneumatocele, hydrocele, ſpermatocele, hydrophtalmia: Et in *gregales*, ut ſunt varices, hydatides, variolæ criſtallinæ, bullæ in febribus malignis, phlyctænæ, &c. Aſcites, hydrocephali, &c. non ad affectus, ſed ad morbos referuntur ex n°. 8.

Cauſæ ſunt quæ vim contentorum adaugent, aut quæ continentes imminuunt tùm abſolutè, tùm relativè.

Vires humorum menſurantur ex eorum mole, & velocitate, aut niſu quo truduntur; cùm autem in ſtatu ſano illæ ſint æquilibres viribus vaſorum aut membranorum continentium, undè fit ut earum moles eadem permaneat, neceſſum eſt ad hoc ut tumor efformetur, ut tollatur naturale æquilibrium, & ut vires fluidi in ſolida majores abſolutè fiant, vel reſpectivè, ſeu ut ſolidorum vires abſolutè minuantur. Ex vi abſolutè adauctâ in fluidis fit tumor calidus, id eſt major violentia, & attritus calore, dolore ſtipatus; ex vi relativè adauctâ in fluidis, ſeu in ſolidis continentibus abſolutè imminutâ, fit tumor frigidus & indolens, quia ſinè notabili renixu ex quo calor, qui ſequitur rationem compoſitam ex ratione particularum

ignearum aut alkalinarum ſimplâ, denſitatis partium ſimplâ, & velocitatis attritûs duplicatâ. Si itaque attritus alicubi creſcat, nec elabi poſſit fluidum, illud ibi incaleſcere, ideòque expandi neceſſum eſt, undè ſolida diſtendi, dolere, vaſa ſanguifera magis ampla, ſublimiaque intenſiùs rubere conſequens eſt. Cauſæ ſimilis tumoris, ſunt externæ ut ignis applicatus, affrictus vehemens; internæ efficientes ſunt fluidi ſubita rarefactio, vel motus & affluxus adauctus, undè hos tumores *per fluxionem* fieri dicebant Veteres. Adaugetur verò ſanguinis in partem influxus, vel à voluntate ope motûs muſcularis, vel à naturâ ad repagula circulationis removenda; veſicarum verò & receptaculorum diſtenſiones, quæ tumores frigidos ut plurimùm conſtituunt, ſummum momentum ex parte fluidi licèt guttatim extillantis, experiuntur; hanc vim cognoſcet is, qui, quo

pacto Sturmius ope veſicæ molam molendinariam attolli poſſe contendat, non ignoraverit. Reſiſtentiæ verò receptaculorum minuuntur, ſi eorum tunicæ laxentur, lacerentur, minùs fulciantur, &c.

Phœnomena tumorum generalia ex allatis patent; particularia variant pro tumoris ſpecie, & ſede; in cerebro apoplexiæ, epilepſiæ, vertigines; in pectore, peripneumoniæ, aſthmata, ſuffocationes. Milleni demum morbi ex variis tumoribus enaſcuntur, ut omnes inflammatorii à tumoribus calidis, &c.

43. *Excreſcentia*, eſt partis elevatio non à fluido ſed à ſolido ipſomet enato, excreſcente in minimis ſui partibus, ut ex differentiis patebit. Dividitur quadrifariàm pro diverſâ tumoris firmitate: 1°. in *Exoſtoſim*, quæ continet pœdartrocacem, ſpinam ventoſam, nodum, cornu, huc gibboſitatis ſpecies,

rachiticus tumor, &c. 2°. *Condiloma*, huc ganglion, callus, hordeolum, verruca, porrum, ficus, clavus, &c. 3°. *Sarcoma*, huc pterygium, encanthis, ſarcocele, hyperſarcoſis, ſextus digitus, bicephalium, cercoſis, bronchoceles ſpecies. 4°. *Fungum*, ad quem attinent polypus, epulis, ranulæ, natta, uvulæ, clitoridis, præputii excreſcentiæ molles, &c.

44. *Lordoſis* Græcis, *curvatura* Latinis, aut quocumque nomine donetur, eſt partium ſolidarum è ſuâ ſede aut libellâ dejectarum, elevatio. Huic vitio annumerantur non ſolùm diſtorſiones rachiticæ tibiarum in valgis, raris; coſtarum, ſcapularum, ſterni in gibboſis; cuptoſis, camaroſis, anchiloſis: ſed & etiam tumores ab herniâ, prolapſu, fracturâ, luxatione & his ſimilia.

Cauſa proxima excreſcentiarum eſt nutritio partis major, copioſior ob ſucci nutritii affluxum majorem,

& fibrarum primarum flexilitatem nimiam. Cauſæ remotæ ſunt obſtructio vaſorum partis; hâc enim poſitâ, ſecundùm naturæ providæ legem humores in obicem fortiùs affluunt, non ex vaſorum rectitudine & diametro, ſed ex naturæ imperio, non ſecùs ac in verecundiâ ſanguis faciem determinatè petit, in æſtro venereo penem, in motu voluntario certum electivè muſculum.

Phænomena, ex dictis (34. 38. 39. 42.) patent.

45. *Depreſſio*, eſt ea partis contractio, imminutio, tam parva moles ut ad ſua munia fiat inhabilis. Differentiæ ex cauſis patebunt.

Cauſæ ſunt vitium ortûs aut nativa conformatio à vi in utero partes premente. Undè naſcuntur acephali, mutili, ſimi, an actuoſa matris *imaginatio*, ſit cauſa cur ſimus ſimum, mancus mancum generet? *Atrophia*, aut defectus ſucci nutritii. *Obſtructio*, ſic conſtipato bronchio,

pulmonis lobus contrahitur, obſtructâ vaginâ, uterus evaneſcit; exſiccatio ſeu *Aridura*, ſic ſeneſcendo corpus contrahitur; *Eroſio*, ſuppuratio, caries partes excavant, conſumunt, emaciant: *Inediâ*, ventriculus ad coli diametrum accedit; *Ictu* tabulæ cranii, coſtæ introrsùm incurvantur.

Phænomena generalia patent, combinatur aridura cum duritie (31.) ſic hepar, pulmo, lien indurantur ſimul, & mole minuuntur; quod vitium nemo ad skirros retulerit: quot morbi ex his partium ariduris, eroſionibus, conſtrictionibus oriantur docet Boneti Sepulchretum.

CAPUT TERTIUM.

De vitiis fluidorum ſimplicibus.

46. VItia fluidorum ſimplicia ſunt in craſi & conſiſtentiâ. Vitioſa fluidorum craſis, ſeu miſcela & compoſitio duplex ſtatuitur, alia ad acidum, alia ad alkalinum vergit. Hinc *aceſcentia* & *alkaleſcentia*. Conſiſtentiâ ſeu firmitate peccant, tùm exceſſu, tùm defectu. Hinc *ſpiſſitudo*, & *diſſolutio*.

47. *Aceſcentia*, vel diſcraſia ad acidum vergens, eſt ea fluidorum talis compoſitio, quâ, ſi ſibi relinquantur aut levi igne tractentur, odorem, ſaporem, copioſum acidum ſal, valent fundere. Salia acida ea ſunt quæ ſapore proprio acido, efferveſcentiâ cum pluribus alkalicis ſe produnt, quæ chartæ cæruleæ

rubedinem conciliant, putredini reſiſtunt, terrea corpora reſolvunt, & factâ ſolutione alkalini aut terrei corporis in corpus inſipidum, vel in ſalia neutra mutantur.

Cauſæ. Oriuntur ſalia his affinia in corpore 1°. Ab alimentis farinoſis, ſucculentis, acidis recentibus, crudis, vel fermentatis vegetantium partibus. 2°. Ab inopiâ boni ſanguinis, & præſertim inertiâ bilis in corpore hæc alimenta ſumente. 3°. A debilitate fibrarum, ſeu à vaſorum & viſcerum ventriculi præſertim atoniâ (32.) 4°. A defectu motûs animalis.

Omnia vegetabilia inſipida, inodora, acida, aceſcentia, exceptis ſolis aromaticis, lac animalium phytiphagorum præbent ſuccos aceſcere aptos in primis viis. Sic videmus offas ex herbis, pane, orysâ, lac intrà aliquot horas aceſcere, ſive fermentare. Fermentatio enim eſt is motus inteſtinus ſpontaneus corpo-

rum vegetabilium, quo peracto; ex muſto vinum & liquor ſpirituoſus inflammabilis, ac acetum acido fixo præditum elici poſſunt.

Phænomena reſpici debent tum in primis viis, tum in ſanguine. Si vis digeſtiva vigeat, talia alimenta citò digeruntur, nec perficitur fermentatio. Secùs verò *in primis viis* oriuntur phœnomena cacochiliæ acidæ, ructus acidi, ſapores ſimiles, fames, morſus ventriculi, flatus, dolores, borborygmi, ſpaſmi, bilis inertia, varia, mutatio, appetitus terreſtrium, abſorbentium, acidum vomitu rejectum cum terrâ fervens, feces alvi acidum ſpirantes, pyroſis.

In ſanguineis vaſis cruoris inopia, lymphæ crudæ, aqueæ, acidæ copia, pallor, chloroſis, pruritus, puſtulæ, ſitis nulla, obſtructiones, ulcera, cruoris coagula, tum irritamenta cerebri, nervorum, ſpaſmi, &c. Acor etiam in lacte, urinis, ſudore

percipitur; verbo fit *cacochymia* acida ſimplex, *acerba*, auſtera, &c.

48. *Alkaleſcentia*, ſeu diſcraſia in alkalinum vergens, ea eſt fluidorum conditio, miſcela, quâ, ſi ſibi relinquantur ac levi igne tractentur, valent reddere ſalia alkalina volatilia, olea copioſa fœtidiſſima & phoſphorum. Motus, quo animalium imò & vegetantium partes ad hæc fundenda diſponuntur, *putrefactio* nuncupatur, quæ perfecta eſt vel imperfecta. Salia alkalina ea ſunt, quæ cum acidis fervent, tincturæ riccinoïdis tricocci colorem cœruleum conciliant, ſapore acri igneo donantur, ignis actione ſi fixa, aut putrefactione fiunt; ſi volatilia, in aëre deliqueſcunt, & poſt efferveſcentiam cum acidis initam, neutra evadunt. Ut acida aſſumpta vis digeſtiva mutat in ſanis, alkalina in ſanguine continuò ad putredinem prono, chilus novus eluit, deſtruit, excretiones everrunt.

Cauſæ materiales ſunt cibus ex quadrupedibus, piſcibus, avibus annoſis, carnivoris, rapacibus. 2°. Ex plantis alkaleſcentibus, aromaticis, umbellato, labiato, cruciformi flore, acribus ad condimenta adhibitis. 3°. Salia acria, ſpiritus indè eliciti. 4°. Boni cruoris abundantia, &c. *Formales* cauſæ, magna virtus vaſorum, viſcerum, bilis copia, vis, alkalina indoles, calor ingens diù per febrem, exercitium conciliatus; repetita diù circulatio ſine novi, blandi, aquei, ſubacidi chili proventu, excretionum ſeu lotionis humorum defectus & ſtagnatio in colis. Miaſmatum peſtilentium, venenorum alkalium, gelu calore reſoluti energia.

Phænomena in primis viis; ſi fruſtulum carnis veſperè dentibus adhæſerit, poſtridiè putridum, fœtidum eſt. Sic animalium carnes in ventriculo laxo reſtitantes putreſcunt, alkalinam, fœtidam, nauſeoſam,

ſeoſam, abominabilem indolem acquirunt; cacochiliæ alkaleſcentis ſigna ſunt ſitis urens, proſtratus appetitus, ructus nidoroſus ut ab ovis putridis, ſapor fœtidus, fœtor ſtercoreus, ſordities oris, faucium, amareſcens, nauſea, vomitus putres bilioſi. *In viis ſanguineis*, diſſolutio putrida, lactis, ſeminis acrimonia, alkalina oleoſa; color luteus; inflammationes celeriter in ſphacelum vergentes; malignæ febres cum bullis; exanthemata livida; ciborum horror, carnium averſatio, acidorum, aquæ frigidæ deſiderium; cruor tenuis, diſſolutus, floridus, vix concreſcens, cadaveris cita putrefactio, gangræna, &c. Boerhaavii *Aphor.* 86. *inſtitut. à* 911. *ad* 916. *&* 1172. *ad* 1177. Sthal. *de fermentatione.* Ad has diſcraſias reduci poſſunt acrimonia muriatica, oleoſa, bilioſa, &c.

49. *Spiſſitudo*, tenacitas, viſcoſitas, diathesis gummoſa aut reſinoſa,

fluidorum; ea eſt guttularum cohærentia, quâ fit ut una ſinè aliâ moveri vix poſſit, ut ad ſanitatem opus eſt. Alia eſt pura, alia alkalina, acida, &c.

Cauſa materiales ſunt, 1°. Farinoſa, edulia cruda, pultacea, auſtera, immatura, non fermentata. 2°. Gelatinæ glutinoſæ animalium, ut juſcula ex quadrupedum articulis, ex ranis, teſtudinibus. *Cauſæ conditionales* ſunt debilitas vaſorum & viſcerum (32.) bilis vappiditas, inertia, (47.) imminutus motus animalis, diſſipatio liquidioris per evacuationes ſeroſas, retentio craſſi à debilitate vaſis excernentis. Tunc enim liberiùs agit attractio. *Cauſæ efficientes* ſunt 1°. Coagulatio à frigore diù agente. 2°. Ab acidis mineralibus, præſertim à venenis ſingularibus. 3°. A ſpiritu vini, nec acido nec alkalino immediatè applicato. 4°. Ab igne in gradu ebullitionis aquæ. 5°. Ab alkalinis etiam vola-

tilibus in grumos vertitur. 6°. Inflammatio, ut in pleuritide, rheumatiſmo, &c. 7°. Terrea, abſorbentia.

Phænomena in primis viis cacochiliæ pituitoſæ adſcripta ſunt anorexia, repletionis ſenſus, pondus ſtomachi, vomitus inſipidi, ingeſti cruditas, bilis inviſcatio, alvus tarda ſinè dolore tumens, obſtructio meſenterii, chilopoeſis impedita. *In ſanguine*, cacochymia glutinoſa, grumoſa, pallor, immeabilitas, concretio, urina pallida, vix olens, ſaliva lenta, ſecretiones impeditæ, defectus ſubtiliorum, canalium minimorum infarctus, &c. De ſpiſſitudinis ſpeciebus combinatis ut de inflammatoriâ, de ſcrofulosâ, &c. alibi.

5°. *Fluxilitas*, fluiditas, diſſolutio, diatheſis ſeroſa, ea eſt humorum minor conſiſtentia & tenacitas, quàm quæ ad ſanitatem requiritur. Dividitur in ſimplicem de quâ agi-

mus ; & in combinatam quæ frequentiſſima eſt , qualis diſſolutio acida (47.) in qua grumi cruoris in lymphâ aqueâ acidâ natant ; diſſolutio alkaleſcens putris (48.) ut in febribus malignis quibuſdam ; diſſolutio acris muriatica ut in hydrope, ſcorbuto; diſſolutio acris oleoſa , biliosa , ut in ardentibus febribus , &c.

Cauſæ Proegumenæ diluens vehiculum præbent , ut 1°. Alimenta ex cibis aqueis , ſucci plenis , baccis , pomis , cucurbitis , potus aquæ multus. 2°. Balnea frequentia , aër humidus. 3°. Urinæ , ſudoris , perſpirationis retentio. Cauſæ *Procatarcticæ* ſanguinem ſolventes , ſunt 1°. Motus animalis adauctus , exercitia non ſudante corpore. 2°. Martialium , mercurialium , aperientium energia. 3°. Venena quædam diſſolventia ut hæmerhoï ictus, virus ſcorbuticum , putredo in ſphacelo , maligno morbo præſens.

Phænomena. Perſpiratio, ſudor, urina copioſa: feces & omnia excrementa liquida copioſa. Poſteà corporis totius macies, aridura, debilitas, ſitis, ſiccitas, &c. Vide *Hiſtoriam morborum*, qui à combinatâ diſſolutione foventur.

Cacochilia ſeu ſaburra, vulgò, *cradités*, *pourriture*, *indigeſtion*, eſt humor in primis viis à digeſtione reſiduus, & quantitate vel qualitate nocivus.

Cacochilia multiplex poteſt aſſignari; ordinis tamen causâ dividetur in *putridam*, *empyreumaticam*, *fermenteſcentem*, *ননbilioſam*, *glutinoſam* & *crudam*.

Saburra putris vel nidoroſa ea eſt quæ ſaporem abominabilem, qualis eſt ovorum aut carnium putreſcentium, odorem ructuum oris ſimilem, fecum diſſolutarum fœtorem, &c. præ ſe fert. Oritur ex alimentorum præſertim animalium diuturnâ morâ in ventriculo, ex eorum ad

putredinem diſpoſitione, vide *Alkaleſcentiam in primis viis* (48.)

Saburra empyreumatica cognoſcitur ex ſapore igneo, aduſto, ut olei, butyri frixi, ignem diutiùs paſſi, ex calore interaneorum, urinâ fervidiori, ſiccitate, calore majoribus: oritur ex calore nimio viſcerum, uſu adipis, olei, butyri, imò quandòque lactis, cum fervore ſtomachi, alimentis toſtis, fumo perfuſis, adipe acri conditis, frixis.

Saburra fermenteſcens vel acida, ex ructibus acidis, oris acido ſapore, vomitu materiei cum humo efferveſcentis, cognoſcitur; hanc comitatur ſæpè pyroſis. Hanc inducunt 1°. Alimenta, potiſſimùm in quibus latet acidum, ut vinum, cereviſia, lac. 2°. Acida ipſa, ut ceraſa, limonia, acetum, &c. 3°. Motus inteſtinus enaſcens in alimentis vegetabilibus diutiùs in ſtomacho morantibus. 4°. Fermentum ab alimentorum reliquiis malè coctis,

5°. Calore ventriculi concurrente.

Saburra bilioſa vel amara, ex oris amarore, linguæ ſorditie flaveſcente, ſiti, calore cognoſcitur, maximè ſi bilis vomitus vel dejectio accedant. Hanc inducunt bilis exundantia in primis viis, jejunium, uſus alimentorum acrium, ſalitorum, piperatorum, necnon dulcium ut ſacchari, mellis, dulciariorum. Hanc excitant febres triteophiæ ardentes, atque indè viſcoſitates labiorum, linguæ, dentium fuſcæ, nigræ evadunt.

Saburra glutinoſa, vulgò, *Glaireuſe, pituiteuſe*, cognoſcitur ex abundantiâ muci viſcidi, pellucidi, muco naſali, aut albumini ovorum ſimilis, qui ano, vel cato rejicitur.

Principia. Laxitas aut torpor ventriculi & glandularum ſebacearum, quæ in illum ſuos mucos dimittunt, ut membranæ pituitariæ, tonſillarum, &c. Indè enim mucus uber

in ſtómachum depluit ; hinc ſenes, pituitoſi, frigidi, viſciditatibus illis ſunt obnoxii : debilitas ipſius ventriculi, qui remorari ſinit in ſuo cavo alimenta, quæ pro variâ indole in paſtam crudam, viſcoſam abire poſſunt, talia ſunt farinacea, pultacea, non fermentata, legumina, frigida. Ex his ſanguinem ſubeuntibus mucis ſanguis viſcoſior evadit, undè pulsûs tarditas, intermiſſio, inæqualitas ; in ore ſapor nullus, vel viſcidus paſtaceus, ſitis nulla, in ventriculo frigus, pondus iners, inappetentia, &c.

Saburra cruda, vulgò, *crudités*, datur, cùm alimenta frigida, inſipida in ventriculo ſinè ullâ ferè mutatione retinentur, vel primas vias incocta prætereunt.

Principia ſunt 1°. Ventriculi debilitas, frigiditas. 2°. Alimenta coctu difficilia propter denſitatem, duritiem, ut carnes fumo induratæ, ferinæ, fibroſæ, compactæ. 3°. Alimenta

menta viſcida craſſa, ut legumina, caſtaneæ, cerealia, cruſtæ farreæ non fermentatæ vulgò, *patiſſeries.* 4°. Refrigerantia & laxantia, ut olera, acetaria, fructus cucurbitacei, juſcula emollientia, ptiſanæ viſcoſæ, pectorales. 5°. Alimenta copioſiùs aſſumpta, vel nondùm vacuo ventriculo ingeſta, vel non ſatis maſticata, vel ſæpiùs in die deglutita, vel præſente febre, aut debilitate ventriculi aſſumpta.

Cognoſcitur 1°. ex pondere ventriculi cum ejus intumeſcentiâ, tenſione; 2°. ſenſu frigoris; 3°. flatulentiâ; 4°. capitis gravitate, dolore, pulſatione, vel ſomnolentiâ; 5°. pulsûs frequentiâ cum laſſitudine. Si indigeſtio ſit gravis, accedunt; 6°. dolores conſtrictorii; 7°. vomitus vel nauſea, cardialgiæ pectoris oppreſſiones, in pueris tuſſis; 8°. imò morbi capitis convulſivi, ſoporoſi.

Cùm hæc ſaburra cruda tranſit in ſanguinem, multiformes excitan-

tur morbi à ſanguinis inſpiſſatione procedentes, quæ referre longiùs eſſet.

Cacochymia eſt pravorum humorum quantitas in vaſis ſanguineis & ſecretoriis, ſeu in ſecundis & tertiis viis, undè plurimi morbi foventur vel excitantur.

Sanguinis nomine intelligimus *cruorem* & *lympham*. Humorum nomine quæcumque cætera fluida, ſive *reparantia* ut chilum, lac: ſive *recrementitia*, ut ſalivam, bilem, &c. ſive *excrementitia*, ut urinam, perſpirabile ſerum, &c.

Cacochymia multiplex eſt: aſt ejus potiſſimæ varietates, ſunt combinatæ ex vitiis fluidorum & ſolidorum ſimplicibus, ſic ex ſanguine ſpiſſo ſimul & frigido fit cacochymia *grumoſa*; ex ſpiſſo & calido cacochymia *inflammatoria*; ex ſanguine fluxiliori & acri, cacochymia *diſſoluta acris*; ex lymphâ ſpiſſa & acri cacochymia *acris & ſicca*; ex lymphâ

ſpiſſa à coagulo, cacochymia *grumoſa lymphæ*; à lymphâ fluxiliori & aquosâ, *cacochymia ſeroſa*; à lymphâ aquoſa, acri & cruore pauco condenſato *cacochymia ſcroſo-grumoſa*; à pure ſanguini mixto *cacochymia purulenta*; à viru quovis ut ſyphilitico, leproſo mixto cacochymia *virulenta*.

Ex illis cacochymia inflammatoria, & acris-ſicca cum ſolidorum erethiſmo combinantur: grumoſa verò lymphæ & ſeroſa cum atoniâ ſolidorum ut plurimum obſervantur.

Rursùs cacochymiæ à vitio lymphæ & humorum ſunt vel univerſales cum totum corpus afficiunt, vel topicæ cum determinatis partibus potiſſimum nocent, ut pulmoni, hepati, ventriculo, oculis, &c.

Cacochymia grumoſa ſanguinis, ex mucilaginis ejus ſeu partis fibroſæ exſuperantiâ, pendet. Principia frequentiſſima ſunt ſaburræ crudæ, viſcidæ ſanguini transfuſæ.

Cacochymia *Inflammatoria* pendet à mucilaginis ſanguinis coagulo, cum conatu febrili, dolore, tenſione; undè fiunt morbi inflammatorii, rheumatici, arthritici.

Cacochymia *grumoſa lymphæ* ex ejus mucilagine inſpiſſatâ, craſſâ, viſcidâ dependet; talis obſervatur in catarrhoſis affectibus.

Cacochymia *acris & ſicca* ex lymphæ & ſeri defectu, ſimulque ejus acrimoniâ procedit; talis in hyſtericis & hypochondriacis datur.

Cacochymia *ſeroſo-grumoſa* lymphæ adeſt cum ſanguis in patellâ efformat trhombum exiguum denſum, copioſo ſero acri innatantem; talis datur in chloroſi, leucophlegmatiâ, aſcite.

Cacochymia *ſeroſa* à ſeri puri copiâ dependet, ac indè imbibuntur ſolida, cellulæ adipoſæ replentur, ſed pars purpurea ſanguinis non eſt condenſata.

Cacochymia *purulenta* à remix-

tione puris cum ſanguine dependet, undè febres hecticæ, ſudores nocturni, &c.

Cacochymia *virulenta* ut plurimum eſt acris ſimul & grumoſa in chronicis ut leprâ, ſyphylide, ſtrumis, &c. vel acris & diſſoluta ut in ſcorbuto veteri, peſte, variolis malignis, &c. Cacochymia virulenta eſt *multiplicativa*, ſeu cujus energiâ humores puri evadunt virulenti, & tunc *fermenta* vocantur, quæ ſunt aceſcentia vel putreſcentia: Rursùs illæ impuritates ſunt quandòque *contagioſæ* ut lues ſyphylitica, ſcabioſa, hydrophobica, eæque, ſi volatiles ſint & exhalare queant, miaſmata dicuntur.

Pravi ſucci qui conſtituunt cacochymiam procedunt 1°. A parentibus vel nutricibus ut rachitis, ſyphylis; ſtruma, &c. 2°. Ab ingeſtis, ſic morbi epidemici à pravi alimentis, dyſenteria advenarum ab aquis inaſſuetis procedit. 3°. Ab

aëre miaſmatis vitioſis onuſto. 4°. A ſaburrâ ſanguini transfusâ. 5°. Ab hæmatoſi vitiosâ, ſic à circulatione tardiori ſanguis lenteſcit, ſtagnat, à velociori exſiccatur. 6°. Ab ex re-tionis defectu, ut à ſuppreſſis evacuationibus, puſtulis repreſſis, herpetibus repercuſſis. 7°. A contagio tum immediato, ut ſcabies, ſyphylis; tum mediato, ut ſcorbutus in noſocomio ſcorbuticorum, dyſenteria caſtrenſis à latrinarum halitibus.

Cacochymia in genere 1°. Obſtruit vaſa minima, vel ſanguifera, vel lymphatica, vel ſecretoria, hinc tumores, glandulæ duræ, excretiones ſuppreſſæ. 2°. Morbos contumaces inducit; ſi enim excipiamus morbos febriles ut peſtem, variolam, &c. morbi cœteri à cacochymia inducti chronici ſunt & pertinaces. 3°. Proteiformi indole gaudet, undè ſymptomatum viciſſitudo, & alterna ſucceſſio, ſic ablato uno

ſymptomate, alterum in aliâ parte enaſcitur. 4°. Dolores inducunt plures cacochymiæ, ut arthriticos, ſyphyliticos, ſcorbuticos, pruritus, æſtus, &c. 5°. Morbos cutaneos & tumores in glandulis excitant ut ſcabies, ſcrofula, ſyphylis, &c.

CAPUT QUARTUM.

De fluidorum ac ſolidorum vitiis.

51. PEccant fluida, ſolidaque ſimul his continendis, & movendis dicata. 1°. In proportione quantitatis fluidi ad capacitatem vaſis, adeòque *copiâ* & *inopiâ*. 2°. In motu utriſque communi, adeòque *tarditate* & *velocitate*. 3°. Quod tranatura ſiſtantur, & remoratura evacuentur undè *obſtructio* & *evacuatio*. 4°. In mutatâ qualitate, ut in temperaturâ mutatâ ſcilicèt frigiditate,

caliditate, humiditate, ſiccitate & ea vitia vocantur *intemperies*, ſeu exceſſus qualitatum primarum, vel peccant in qualitatibus ſecundis, ut *odore*, *colore*, vel demùm peccant robore, aut debilitate.

52. *Plethora* eſt major fluidorum copia, quàm quæ vaſis naturaliter contineri debet ad functionum exercitium. Dividitur in *univerſalem*, de quâ hîc agimus, & *particularem*, de quâ *vide* n°. 41. 42. 43. Univerſalis eſt vel *euchyma*, de quâ nunc, id eſt à bono ſanguine; vel *cacochyma*, de quâ *vide* n°. 46. ad 51. Euchyma eſt reſpectiva vel abſoluta; prior à capacitate vaſorum minori, altera à ſanguinis mole reapsè majori. Utraque demùm eſt *vera*, in quâ ſanguis denſitatem ſolitam obtinet; & *apparens*, quæ à ſanguine rarefacto, minùs denſo pendet.

Cauſæ plethoræ 1°. *abſolutæ veræ* ſunt, *a* nimia ingeſtorum copia, aut ſanguinis generatio, quæ eſt in

ratione compoſitâ quantitatis ciborum, frequentiæ aſſumptionum, ſucculentiæ aut bonitatis alimentorum, virium ſimul digeſtivarum, appetitûs vigoris, chili ductuum amplitudinis & numeri. *b* Parcior egeſtorum copia, quæ menſuratur ab excernendæ materiæ velocitate, ab orificiorum excernentium amplitudine, numero, ab excretionum periodicarum ut urinæ, fecis, catameniorum frequentiâ & duratione, & continuarum conſtantiâ, ut perſpiratio eſt. *c* Laxior aut dilatabilior vaſorum textus, cui favet deſidia, ſomnolentia, animi tranquillitas, victus & aër humidus. *Abſolutam falſam* producunt plethoram cauſæ *internæ* ſanguinem rarefacientes, ut animi pathemata vivida, naturæ conamina in febribus ardentibus, inflammatoriis; venena diaphoretica; *externæ* cauſæ frictiones, calor, agitatio, medicamenta cardiaca, acria, calida, &c. *Reſpectivam*

plethoram producunt 1°. Contrictio tonica, vel ſpaſmodica vaſorum, membranarum, ut accidit in terrore, frigore, febrili acceſſu. 2. Mutilatio artuum, caſtratio, dùm quantitas ingeſtorum, & vis coctrix eædem remanent. 3°. Obliteratio vaſorum, aut exſiccatio, ut in ſenibus, &c. non decreſcente ciborum copiâ.

Phænomena veræ abſolutæ plethoræ ſunt habitus floridus, enſarchos, plenus, color cutis roſeus, ejus nitor, planities abdominis, & totius corporis craſſitudo, pinguitudo, intumeſcentia, mentis & corporis tarditas, ſomnolentia, vertiginoſa capitis gravitas, arteriæ plenæ, magnæ, pulſus tamen parvus, quia ejecti qualibet vice è corde ſanguinis quantitas creſcit in minore ratione, quàm vaſorum amplitudo; tenſio vaſorum quæ creſcit ut diameter, non tam creſcit quàm moles fluidorum, quæ eſt ut diametri quadratum,

undè pulſus non evadit durior. Moles movenda major ab eodem naturæ conatu non niſi tardiùs moveri poteſt, undè pulſuum frequentia & velocitas minor. In *apparente* plethora vis pellens ſanguinem eſt adaucta, aut ejus vis expanſiva fortior, undè major è corde in arterias fluidi projecti moles, major velocitas, indè magis impetuntur & tenduntur vaſa; hinc pulsûs tenſio velocitatis quadrato reſpondens, conatus naturæ frequentiùs cor contrahit, ut in curſu, exercitio, irâ; indè pulsûs frequentia, ſanguis magis attritus in vaſis cutis pluribus, amplioribus, ſublimioribus ruborem vividiorem aut magis conſpicuum refert. Plethora vera eſt velut quieſcens obſtaculum circulationi oppoſitum, quod natura interdum diſcutere per varias hæmorrhagias contendit; hinc fit plethora commota febrium acutarum, inflammationum comes frequentiſſima.

In plethora apparente ſeu *commotâ*, arteriæ tument, quin nec moles nec volumen totius ſanguinis increſcant, ex eo quod ſcilicèt ſanguis in majori ratione repleat arterias, & in minori venas quàm in ſtatu ſano, ſcilicèt corde ſæpiùs & altiùs contracto propter vim majorem ipſi applicatam. 1°. Sanguis intra arterias fortiùs adigitur, adeòque eas fortiùs diducit, undè pulsûs velox & frequens, verùm quoniam reſiſtentiæ fluidorum intra vaſa fluido plena truſorum creſcunt ut quadrata velocitatis ipſorum, creſcente vi cordis, creſcit pari paſſu vaſorum potiſſimùm minimorum, & ſanguineæ columnæ reſiſtentia ſeu reactio, & indè nova cauſa tenſionis arteriarum. Creſcente vi truſivâ per arterias, creſcit calor ubique, adeòque intra datos limites ſanguinis fluxilitas, creſcit etiam velocitas per venas, licèt in paulò minori ratione quàm per arterias. Jam verò exindè ſanguinis

curſus per arterias eſt velocior ſed coactus; per venas verò eſt velocior & liberior, quia cùm in venis majoribus columna ſanguinis antecedentis brevis ſit, adeòque parùm ſuâ mole reſiſtat, ea ſuâ viſcoſitate tantùm retardatur; ſublatâ itaque per calorem viſcoſitate jam celerior evadit ſanguis per venas & liberior, adeòque minùs premit venarum parietes, qui proindè elatere ſuo conſtricti minùs ſanguinis continent, undè ea quantitate quæ in venis majoribus deficit ſanguis arterias majores diſtendit, ea omnia ſequuntur ex eo principio quod ſi fluidi velocitas intrà vaſa ſenſim magis ac reſiſtentia augeatur, ut intrà vaſa convergentia, preſſio fluidi in parietes vaſorum increſcat, quæ decreſcit in vaſis continuò divergentibus, ſeu latioribus: atque minores affrictus fluido offerentibus, ſi ipſius velocitas augeatur. In hac theoriâ ſupponimus ventriculos cordis non

à vi ſanguinis venoſi, ſed à fibris ſuis longitudinalibus, vel minùs obliquis diduci & his clauſis auriculas vix ſanguini ipſas dilatanti reſiſtere.

53. *Inanitas* aut *keneacteïa* Græcis, eſt ea fluidorum inopia aut vaſorum tam parva repletio ut muniis ſanitatis non ſufficiat.

Cauſa ejus repetenda venit ex ingeſtorum inopiâ ſimul & egeſtorum copiâ. Huc 1°. Defectus cibi & potûs; aut quod eòdem recidit, victus ex cibis paucis exſuccis, pravis diſpeptis. 2°. Vis coctrix imbecillis, undè nulla aut parcior chyli receptio. 3°. Vis contractiva vaſorum major, undè fluida vel non accipiuntur vel in auras perſpirantur. 4°. Evacuatio frequens, copioſa, longa, multiplex, maximè perſpiratio, morbi evacuatorii prægreſſi, ut diarrhæa, hæmorrhagia, diabetes, labor, agrypnia, &c.

Phænomena. Habitus ſtrigoſus,

cutis arida, macilenta, imò inarcida, virium proſtratio, pallor, pulsûs exilitas & tamen frequentia, quia minor moles velociùs ab eâdem potentiâ movetur, quàm major. Facies Hippocratica, oculi excavati, genæ pendulæ, &c.

54. *Tarditas* circulationis fluidorum æſtimatur ex pulsûs parvitate & raritate conjunctim. Sit velocitas ſana ſanguinis in aortâ dati hominis ut productum quatuor linearum, quibus creſcit in diaſtole illius ſectio, per ſeptuaginta ſeu pulſationum cujuſvis minuti numerum indè exſurget velocitas ut 280. & arteriæ dilatatio diametrum duabus tantùm lineis adauctam decreſcet velocitas quoties vel numerus pulſationum, vel dilatatio arteriæ ita decreſcent, ut productum ſit minùs eo numero. Adeòque decreſcet quoties frequentiâ pulſationum eâdem remanente, arteriæ dilatatio minor erit, nec non quoties eâdem poſitâ dilatatione

decreſcet frequentia, imò etiam ſi frequentia creſcat, modò tamen in minori ratione quàm decreſcit pulsus magnitudo; ſed utrâque ſimul, ſcilicèt & dilatatione & frequentiâ, decreſcente, tarditas ſanguinis maximè adaugebitur.

Notandum verò pulsûs magnitudinem non eſſe arteriæ magnitudini ſemper proportionalem, ſed tantùm hujus dilatationi reſpondere, adeòque ex pulsûs magnitudine non poteſt æſtimari arteriæ magnitudo, cùm fieri poſſit, ut magna arteria parùm, & minor multum dilatetur. Velocitas ſanguinis eſt ſemper proportionalis radici virium ſanguinem trudentium directè, & radici reſiſtentiarum inversè. Ita ut ſi cor fortiùs quaduplò conſtringatur ſub iiſdem reſiſtentiis ſanguis ſit duplo velocior, ſed ſi ſimul reſiſtentiæ ſint quadruplo majores eadem perſtet velocitas, ſi ſexdecies majores reſiſtentiæ cum quadruplâ vi

cordis,

cordis, duplò minor ſit velocitas, &c.

Cauſæ. Tarditas ſanguinis debetur vel decremento potentiæ motricis, vel reſiſtentiarum augmento. 1°. Potentia motrix debiliùs agit in cor vel propter cauſas phyſicas, vel propter cauſas morales. Propter phyſicas cauſas, ſi nervi cardiaci obſtruantur, laxentur, premantur, ſecentur, ſi cordis textus laxetur, tono & elatere deſtituatur, ſi ejus moles excreſcat, ſi anevriſmaticum illud evadat. Cauſæ morales cur anima motum cordis retardet, ſunt periculum alibi urgens ut in terrore, metu, mœrore, vel neglectus negotii vitalis propter ſummum gaudium, aut ſuſpenſio illius motûs metu mali ex velocitate nimiâ oriundi, ut gangrænæ metu, in diſcraſiâ alkaleſcente, morbis malignis: aut ne vires citiùs expenſæ in decurſu morbi deficiant, ut dum fluidi nervei penus parcior eſt. 2°. Creſcunt

reſiſtentiæ cordis contractioni oppoſitæ *vitio vaſorum*, ſi ea rigidiora evadant (31.) ut in ſenibus, à frigore, ſi anguſtiora ab iiſdem cauſis: indè enim affrictus major; ſi obſtruantur, nec natura velit aut poſſit obicem, adaucto cordis conatu, vincere; *vitio fluidorum*, ſi ſpiſſitudine ſimplici (49.) peccent, ut in hypochondriacis, melancholicis: ſi adſit moles movenda major, ut in plethora (52.)

Phænomena ea ſunt quæ ſanguini quieſcenci accidunt. Pars ſeroſa copioſiſſima à trombo purpureo ſeparatur, hinc tumor œdematoſus, laxitas ſolidorum, fluidorum cruditas, hinc obſtructio, frigus, cachæxia, torpor animi & corporis, cruoris hærentia in vaſis majoribus, dùm arteriolas minimas ſola lympha ſubit; hinc pallor aut fuſcus color, pulſus rarus, parvus, tardus, mollis, reſpiratio ſimilis, virium imbecillitas.

55. *Velocitas* circulationis nimia eſt ea quæ aſſignatos in qualibet ætate & temperie limites excedit.

Cauſa eſt quidquid vires motrices cordis & arteriarum intendit. Vis autem cordis adaugetur vel abſolutè, vel reſpectivè 1°. Abſolutè cùm ſtimulatur à ſanguine acri, fervido, metallicis, cardiacis particulis onuſto; cùm fluidum nerveum à meningibus punctis vellicatis elaſticis in cor propellitur; cùm copia ſanguinis ea eſt quæ cordis & vaſorum elaterem non infringat ſed tantùm intendat; cùm cauſæ morales ad cor intenſiùs movendum determinant, ut in irâ, furore; cùm cauſæ morbificæ, corrigendæ vel eliminandæ è viis circulationis id exigunt, ut ſunt obſtructiones ſubitæ in vaſis ſanguiferis, quæ per ſe vim cordis habitualem imminuunt, ſed majorem multò naturæ conatum determinant undè febris. 2°. Reſpectivè adaugetur vis cordis expultrix

ſi reſiſtentia ex *parte fluidorum* minor evadat, ut imminutâ plethorâ per ſanguinis detractionem modò vaſa non concidant, à ſanguinis autem miſſione in plethoricis, moles movenda imminuitur, in ratione diametri vaſorum decreſcentis duplicata dùm vaſorum tonus, in ejus diametri ſimplâ tantùm ratione decreſcit. Si fluxiliora, dilutiora fluida minores attritus patiantur quod fit à balneo in melancholicis, maniacis, à potu diluente in pleuriticis; ex *parte ſolidorum* creſcit ſanguinis velocitas ſi vaſa potiſſimum minima laxentur, ut fit à calore tepido balnei, febris, ſudoris, quia illi tubuli paululùm dilatati multò minùs reſiſtunt liquidorum transfluxui, cùm ſuperficies cylindrorum reſpectu molis in ipſis contentæ creſcat tantùm in ratione diametri quadratæ; ergò duplò minor eſt reſiſtentia ex affrictu reſpectu quantitatis ſanguinis trajicientis vaſa ad diametrum duplam

dilatata, quàm erat ante dilatationem.

Si actione balnei calidi reſiſtentia ex parte viſcoſitatis ſanguinis minuatur, & ſimul ratione caloris oſcula vaſorum dilatentur, velocitas creſcet in ratione compoſitâ ex ſubduplicatâ tum fluxilitatis ſanguinis, tum diametri creſcentis.

Phænomena 1°. Calor corporis major exſurgit, ſi viribus cordis abſolutè adauctis debeatur velocitas. Nam calor eſt cœteris paribus ut duplicata velocitas & pro vario gradu variè mutat ſanguinem; nam ſi conſiſtat infrà 94. grad. thermom. Farenheitii, ille ſanguinem dividit, attenuat, fluxiliorem reddit, ſerum exhalat. 2°. Si ſupra ſerum coagulat, denſat, cruorem inſpiſſat ut in pleuritide. 3°. Si tamen ſanguis ad putredinem propiùs vergat ut in febre ardente, malignâ peſtilenti, calor putredinem, gangrænam accelerat, diſſolutionem, & fluiditatem adau-

get. 4°. Pulsûs adeſt frequentia; virium muſcularium languor. 5°. Appetitûs proſtratio. 6°. Rubor. 7°. Miſcela partium heterogenearum; hinc 8°. impedimenta ſecretionum ſalivæ, muci, urinæ, undè ſitis, ſiccitas oris, linguæ, narium, inteſtinorum, &c. perſpiratio tamen uberior. Undè exſiccatio, viſcoſitas humorum, &c.

56. *Obſtructio.* Opilatio barbaris, Græcis *Emphraxis* eſt ea vaſis & fluidi conditio, quâ fit, ut fluidum canales ſuos tranare non poſſit, eâ ſaltem velocitate, quâ debet, ut ſuis fungatur muniis. Dividitur in ſimplicem in quâ ſanguis craſi naturali donatur, & in combinatam cum diverſis diſcraſiis ut *acidâ*, *alkalinâ* cum velocitate in aliis vaſis, aut tarditate, undè *frigida*, ſtrumoſa, melancholica, vel *inflammatoria.*

Cauſa eſt fluidi trajiciendi & vaſis tranſmiſſuri major reſiſtentia, quàm vis truſiva ipſi applicata, Reſiſtentia

fluidi eſt major ratione molis, ratione grumorum & ratione viſcoſitatis totius. Reſiſtentia canalis eſt major ob anguſtiam à compreſſione ſeu thlipſi, contractione, obſtipatione ſeu ſtenochoriâ, coalitu, & ſubſidentiâ. 1°. Moles fluidi eſt vel in moleculis, vel in toto; *moleculæ* fluidi majores evadunt, ſi ſphæricam figuram amittant, & aliam quamvis induant; indè enim creſcit earum ſuperficies, & attritus, major etiam evadit mutua attractio, undè cohærentia creſcit; moles in guttulis ſenſibilibus creſcit per ſimilem cohærentiam, congrumationem, ſpiſſitudinem (49.) demùm in toto propter plethoram (52.) ad priores attinet frigus, gelu, exſiccatio, calor, coagulum acidum, auſterum, ſpirituoſum, abſorbens, oleoſum, &c. 2°. Debilitas fluidi tranaturi pendet ex eo quod fluidi ſuſequentis vim non excipiat, aut minori vi pellatur, vide cauſas (54.) 4°. amplitudo canalis recepturi minor eſt

vel abſolutè, *a*, *compreſſione* externâ paſſivâ per tumorem(à 40.ad45.)per cauſam diſtendentem, ligantem, trahentem, *b*, *contractione* propriâ vaſis propter ejus elaterem adauctum, ſpaſmum, tonum à ſtimulis, *c*, obſtipatione, per tumores in textu vaſis enatos inflammatorios, skirroſos, ſarçomata, vide (43.) per craſſitiem ejus uniformem adauctam, vide (29.) *d*, *coalitu* vaſis propter cicatricem, longam ſubſidentiam, &c. *Relativè* minus eſt canalis orificium propter deviationem globulorum rubrorum, fibrarum craſſiorum in arterias lymphaticas, quod accidit motu fluidi nimis adaucto in directione vaſis lateralis ut ex corde in carotides, aut propter fluenti mutatam directionem compreſſo canalis trunco. Item ſi plures ſe ſimul offerant globuli oriſicio vaſis conici.

Phænomena ex canalis obſtructione diverſa ſunt, prout vires contractivæ cordis adaugentur, in reſiſtentiæ

ſiſtentiæ ratione, quod accidit in obſtructione ſubitaneâ; vel non adaugentur, quod in ſummâ debilitate & in tardâ obſtructione circulationem non multùm impediente fit. A. Si corpus ſit mera machina & cor embolus, datâ obſtructione, 1°. Imminuitur ſanguinis transfluxus in ratione amplitudinis & numeri vaſorum obſtructorum. 2°. Pari paſſu decreſcit moles ſanguinis cordis ſinus tranaturi. 3°. Vas obſtructum arterioſum nec tumet nec detumet, quia à vi nec majori nec minori diſtenditur, & cum fluido tranaturo æquilibris erat ejus contractiva vis. 4°. Per vaſa libera, ſi quæ ſint, ſanguinis velocitas eadem eſt quæ anteà, verùm in trunco tantò minor eſt, quò obſtructa vaſa ſunt ampliora & numeroſiora. 5°. Motus cordis tantùmdem tardior & rarior evadet. 6°. Inter arteriæ obſtructionem & origines venarum, ſanguinis eadem erit quantitas

quæ eſt inter ſummam diaſtolem & ſyſtolem vaſis media, nec evacuabitur à vi cordis aut vaſorum, niſi muſculi vicini preſſi, contracti concurrant. 7°. Quantitas ſanguinis per venas ad cor tendentis erit ut numerus & amplitudo vaſorum liberorum; ergo naturali minor. 8°. obſtructis truncis venoſis ſummum eſt diſcrimen tumoris, talis eſt obſtructio frigida. B. Verùm ſi cordis vires pro datis reſiſtentiis & periculo imminente adaugeantur, quod à principio ſentiente tantùm fieri poteſt. 1°. Ut eadem moles ſanguinis per arterias liberas ad cor reducatur intra datum tempus, vis cordis, poſitâ obſtructione, duas tertias arteriarum partes occupante, debet eſſe noncupla prioris; adeòque trigeſies ſexies major, ut velocitate duplâ ſanguis ad cor redeat. 2°. Auctâ vi ſanguinis arteriam obſtructam impetentis, eam cedere & dilatari neceſſum eſt, ſimul & vicinas, undè premuntur

venæ vicinæ, fit tumor, fit pulſatio major, fit calor velocitati duplicatæ, vaſorum tenſioni, fluidorum denſitati reſpondens; multùm fluidi nervei impenditur, & in artubus deficit, unde horum proſtratio. *Vide* morbos inflammatorios & febres.

Schol. 1. Docent hydraulici 1°. velocitatem fluidi per ſyringam, per folles truſi eſſe ſemper in diverſis hujus machinæ ſectionibus eò minorem, quò ſectio major, eò majorem, quò minor. 2°. Docent etiam velocitatem hujus fluidi abſolutam eſſe ſemper eamdem in minimis alvei ſectionibus, ſi vis trudens embolum & follis valvas, eadem ſit. 3°. & ſi diverſa fuerit vis impellens, velocitatem eſſe hujus vis radici quadratæ proportionalem. Verùm docent 4°. experimenta Hales. Hæmaſtatica minimam ſectionem effectivam arteriarum eſſe in earum finibus, ſeu propaginibus, cùm vigeſima tantùm pars ſanguinis, qui truncum

apertum præterflueret, ejus propagines intra idem tempus præterfluat, adeòque propagines arteriarum ſunt minima ſectio alvei arterioſi. Hinc ſequitur 1°. quòd obſtructâ dimidiâ parte propaginum ſeu alvei arterioſi, dimidio minor tranſitura ſit ſanguinis copia intra idem tempus, ex corde in arterias, ex arteriis in venas, &c. 2°. Duplò tardior erit cordis & arteriarum contractio & dilatatio. 3°. Duplò proinde rarior pulſus. 4°. Sed etſi per minimam ſectionem eadem ſit perſtitura ſanguinis velocitas, ea tamen in truncis tum arterioſis, tum venoſis duplò minor futura ſit, quàm ante obſtructionem.

Schol. 2. arteriæ & venæ ſunt elaſticæ & flexibiles & prout ſanguis in ipſarum parietes fortiùs premit vel debiliùs, eæ magis vel minùs diducuntur quàm in ſtatu ſano. Illæ verò inæqualibus ictibus premuntur à ſanguine in ſtatu ſano : ſanguis

quippè arterioſus duodecies circiter majori vi truditur quàm venoſus, & in tubum verticalem lateraliter ipſis aptatum duodecies altiùs aſcendit juxta experimenta hæmaſtatica; quoniam tamen tubi arterioſi firmitas & craſſities eſt multò major quàm venoſi, vires prementes ſunt in ſtatu ſano viribus vaſorum reſiſtentibus proportionales, undè æquilibrium & vaſorum quoad magnitudinem conſtantia. Jam verò obſtruatur arterioſus tubus quoad dimidiam ejus alvei partem, ex ſcholio primo ſequitur, quòd cùm in ſtatu ſano alveus in propaginibus ſit vigeſies anguſtior quàm in truncis, jam erit quadrageſies minor, & ex principiis hydrodynamicæ Bernoullianæ preſſio lateralis ſanguinis in arterias erit vix ſenſibiliter major quàm ante obſtructionem ut unâ centeſimâ v.g. parte prioris; quod experimentis à poſteriori confirmatur; nam ligata arteria carotis in cane vivo, vix

intra horam ſenſibiliter tumeſcit inter ligaturam & cor. Verùm longè aliter ſe res habet, obſtructâ venâ majori: illa enim juxta experimenta & leges hydraulicas duodecies magis intumeſcit, quàm intumeſcit arteria. Sanguis enim per venulas appellens, & effluere non valens, jam non amplius effugit preſſionem ſanguinis arterioſi ſubſequentis duodecies majorem, adeòque venæ tantâ vi preſſæ debet tantò magis intumeſcere. Ultimæ propagines arteriarum ſunt molliores, & tenuiores truncis, adeòque ſimili ratiocinio liquet quòd illæ obſtructæ debent aliquando magis intumeſcere quàm trunci.

57. *Evacuatio*, effluxus, eſt fluidi intra canales continendi, vel tardiùs & rariùs ejiciendi, motus, quo extra vaſa celeriùs, vel ſæpiùs emittitur.

Cauſa eſt vis expultrix retentrice major. Vis expultrix eſt major culpâ ſolidi vel culpâ fluidi, ita &

minor retentrix; *a*, vis expultrix vaſorum, veſicarum, &c. creſcit 1°. convulſivo eorum motu; ſic convulſo utero ejicitur fœtus, vel convulſis muſculis ambientibus; ſic convulſis muſculis expiratoriis fit tuſſis. 2°. phlogoſi levi, ſic leviter inflammatus ventriculus omnia rejicit. 3°. vel compreſſione externâ; ſic abdomen deorsùm premunt obſtetrices in partu. 4°. vel ſtimulo; ſic ab urinâ acri, à calculis frequens mictio. 5°. imperio animæ voluntario, naturali, pathetico, &c. ſic voluntaria eſt exſpuitio, naturalis ejaculatio, pathetica lacrymatio, &c. *b*, vis fluidorum expultrix eſt eorum expanſio, ut in eructatione, flatuum emiſſione; eorum pondus, ut in diarrhæâ ſerosâ, effluxu muci narium, fecum in ipſis cadaveribus. *c*, Vis retentrix vaſorum minuitur 1°. ſi ſphincteres, emiſſariaque detendantur; ſic à debilitate, ſyncope, ſudor; à metu, terrore, alvi ſolutio.

2°. Si laxentur; ſic à balneo calido perſpiratio creſcit, fit mictio. 3°. Si obices, tumores, ligaturæ auferantur. 4°. Si ipſi ſphincteres ulcere, vulnere debilitentur, ſolvantur, &c. 5°. Vis retentrix vaſorum deficit, & contenta liquida effluunt 1°. per *rixim* ſi vaſa vi fluidi contenti crepent. 2°. per *diæreſim*, ſi vi externâ mechanicâ ſecentur 3°. per *diabroſim*, ſi à cauſâ phyſicâ diſſolvantur, erodantur. 4°. Per *diapedeſim*, ſi interſtitia fibrarum membranas texentium diducantur. 5°. per *anaſtomoſim*, ſi emiſſariorum excretoriorum ductus magis ſolito dilatentur. *d*. Vis retentrix fluidi aut corporis tranſituri decreſcit, ſi lubricum evadat quod erat aſperum & ſiccum, undè clyſmata ſolvunt alvum; ſi moles eorum decreſcat, ſic poſt puncturam fœtus aſcitici exeunt ex utero. Si guttulæ in minimas moleculas ſolvantur, ſic ſanguinis diſſoluti per cauſas (50.) & truſi per cauſas (55.) fit diapedeſis, ſudor, &c.

Phænomena ex venæ ſectionis theoriâ patebunt, quæ idcircò paucis tradenda. Venæ ſectio triplex eſt quoad medici intentionem: *Evacuatoria* ad minuendam ſanguinis molem & ad ventilandum ſeu à preſſione vaſorum liberandum ſanguinem; talis dicitur quatenùs eâdem proportione imminuitur moles ſanguinis in vaſis omnibus, tum vulnuſculo proximis, tum ab ipſo diſſitis. *Revulſiva* vocatur, ſi vaſa à vulnuſculo remota accipiant quantitatem ſanguinis in minori ratione quàm vaſa vulnuſculo proxima, ſub eâdem diametro. *Derivatoria* verò nuncupatur, quatenùs vaſa vulnuſculo proxima, vel reſpondentia majorem creduntur accipere ſanguinis copiam quàm remota licèt ejuſdem diametri.

Curavi ut effingeretur machina hydraulica ex tubis ferreis aortam ejuſque primos ramos quoad flexuras & diametrorum rationem men-

tientibus, in ipſius truncum aquæ ex receptaculo continuò pleno effluebat, & in hâc aortâ obturato tantùm unico orificio v. g. carotidis dextræ, quæſivi quanta aquæ copia intra minutum efflueret, tum ex ſiniſtrâ, tum ex alterutrâ iliacâ; his inventis, reſeravi omnia orificia, & rursùs quæſivi utrum per carotidem ſiniſtram major, ut fert Bellini theoria, & per iliacam minor efflueret, ſed per utramque minor effluxit quàm anteà; undè concludere licet quòd in machina hydraulica revulſio locum nullatenùs habet in ſenſu Bellini, nec derivatio, ſed tantùm quòd apertâ venâ jugulari vel arteriâ carotide ſanguis minori copiâ in carotides ambas & in iliacas influat quàm ante aperturam, ſeu quòd omnis venæ ſectio eſt ſimpliciter evacuatoria.

Verùm ſi de machinâ vivente & motus ſuos dirigente agatur, res alio modo ſe habet; in homine v. g.

ſi ſit potentia quæ propter fines non dum ſatis intellectos, valeat nervis arterias ambientibus, arterias inferiores v. g. conſtringere dum ſuperiores laxantur, certum eſt quòd ſectâ jugulari fluxus in carotides erit uberior cæteris paribus quàm in iliacas & reciprocè; quia ab illorum tuborum anguſtiâ decreſcit ſanguinis influxus, tum propter ſectionis decrementum, tum propter affrictùs incrementum, adeòque in humanâ machinâ, quatenùs in venæ ſectione, fieri poteſt ut vi pathematis animi certæ arteriæ conſtringantur præ aliis, fieri poteſt tum revulſio, tum derivatio bellîniana, quod tamen à multis adhucdum controvertitur.

58. *Fætor* eſt materialiter ipſa partium corporis volatilium & exhalantium conditio, quæ nares ingratè percellit: Alius ad acidum vergit, alius ad putridum alkalinum.

Cauſæ. Repetantur ex humorum

in ſtomacho fermenteſcentium,& in ſanguine ſparſorum exhalatione, ſi acidus ſit, qualis in pueris ſæpè obſervatur; vel ex humorum putrefactione, qualis obſervatur in ozænâ, carie oſſium, ulceribus, in ſphacelo, in indigeſtione nidorosâ, diarrhæâ putri, in febribus ardentibus, malignis, ptyaliſmo ſcorbutico.

Phænomena in qualitatibus cunctis mutatis per ſe patent.

59. *Decoloratio* eſt coloris alteratio à conſueto in alium. Color autem depravatus, eſt *morbus* per ſe in extenſione ac duratione notabilis, ut in chloroſi, aurigine, melanictero &c. ſecùs tantùm *affectus* eſt, ut in nævo, lentigine, echymoſi.

Cauſa determinati coloris, demonſtrante Newtono, *Optic. l.* 2. 3. *part. prop.* 7. eſt in corporibus ejuſdem circiter denſitatis ac aqua, determinata molecularum primarum craſſities. Sic color ruber tertii

ordinis, ſeu ſanguinis, ſupponit globulorum purpureos majores efformantium, craſſitiem ſeu diametrum æqualem quindecim millioneſimis partibus unius pollic. Harum viginti luteum; octo, violaceum; una ac altera, nigrum, &c. colorem conſtituunt. Si autem eadem ſit molecularum diameter, ſed diverſa denſitas, diverſus color exſurgit.

Phænomena. 1°. Albedo, flavedo corneæ, criſtallini, lædunt, imò, ſi ſint cum opacitate, tollunt viſum. 2°. Pallor corporis, ut in terrore, metu, frigore, ex vaſis cutaneis conſtrictis cruorem non admittentibus pendet; in anaſarcâ, ſyncope, chloroſi, pendet ex colore naturali cutis, ad cujus vaſa cruor ſpiſſior, vel debiliùs propulſus non pervenit. 3°. flavedo ex imminutâ denſitate, vel craſſitie molecularum lymphæ repetitur in aurigine, vel à bile effusâ, &c. *vide* morbos cachecticos decolores.

60. *Caliditas* ſeu intemperies calida (Græcis kauma) alia eſt qualitas mutata, quæ, ſi certos limites excedat, vitioſa eſt. In Thermometro celeberrimi D. de Reaumur calor ſanguinis ſani eſt inter 27. & 28. gradum; triplò minor calore aquæ bullientis; ex thermometro è ſpiritu vini confecto, D. Farenheit, calor ſanguinis humani ſani eſt 96. grad. & calor aquæ ebullientis eſt 212. ad quem quò magis accedit, eò calor intenſior. Alius eſt ardens, alius eſt inflammatorius, Græcis *phlogoſis*, Latinis *Inflammatio*. *Tranſ. philoſ. ann.* 1724.

Caliditas alia univerſalis, alia particularis, ut ſtomachi, pulmonum, prout ab uſu calidorum illa, vel iſta pars faciliùs læditur, & incaleſcit.

Cauſæ. Calor omnis pendet à particularum ignearum vi, quæ, ſub earum pari copiâ, eſt, ut corporum attritus. Attritus autem, de-

monſtrante Hermanno in phoronomiâ, & calor indè exortus eſt in ratione compoſitâ ex denſitatis corporum ſimplâ & ex velocitatis duplicatâ. 1°. Ab igne admoto, ab inſolatione creſcit particularum ignearum copia in corpore. 2°. Idem ab hauſtu calidorum tùm actu, tùm potentiâ, ut ſunt liquores fermentati, ſpirituoſi, igne referti, ſalia alkalina fixa ſummo igne parata, aromatica, &c. 3°. Motus inteſtinus putrefactivus qui ignem & alkalinos volatiles ſales copioſos generat; ſed is calor ſolus debilis eſt. 4°. Denſitas nativa partium ſolidarum, accedente exercitio corporis. 5°. Denſitas à compreſſione veſtium, atmoſpheræ gravis. 6°. Denſitas in fluidis aucta à miſcelâ corporis ſalini, metallici, ut à ferro, mercurio. 7°. Simul & velocitas fluidis, ſolidiſque communicata, ut in curſu, cantu; à motu naturæ, ut febre, convulſione, ab animi pathemate, ut irâ, &c.

Phænomena generalia caloris acuti ſunt fluidorum & ſolidorum expanſio, rarefactio, laxatio, debilitas, ſenſatio moleſta, anxietas, reſpirandi difficultas, pulſus plenus, velox, tranſpiratio, ſudor; aucto gradu caloris vel continuato, emaciatio, exſiccatio corporis, celer humorum alkaleſcentia, putrefactio, fœtor. A calore deurente tumor inflammatorius, eryſipelatoſus cum bullis epidermidis, ſanguinis & lymphæ coagulo, ſolidorum eroſione, &c.

Intemperies calida cognoſcitur ex calore habituali, ex macie corporis, capillorum nigredine cum colore genarum rubro & cutis fuſco, vaſa ſunt turgida ſanguine, carnes denſæ, ingenium vividum.

61. *Frigiditas* eſt intemperies frigida. Adeſſe cognoſcitur ex ſenſu, & menſuratur in corpore humano ex gradu thermom. 96. Infrà ad gradum 1. ubi incipit congelationis

tionis artificialis frigus. Gradus 32. congelationem aquæ ſimplicem ſinè ſalibus deſignat. In thermom. Amontonſii in quo calor aquæ ebullientis Mercurium attollit ad gr. 73. grad. 58. 7. deſignat calorem ſani hominis. 62. calorem aquæ intolerabilem. 51. frigus hibernum congelaſcente aquâ, &c.

Cauſa demonſtrante experientiâ Muſchenbroeckii eſt fluidi cujuſdam nitroſi aut huic affinis præſentia, & ignearum particularum expulſio aut quies. Cauſæ evidentes ſunt 1°. frigidorum applicatio. 2°. minor attritus fluidorum, adeòque minor denſitas & velocitas.

Phænomena pro vario grádu varia ſunt. 1°. Frigore corpus denſatur, ſtringitur, corrugatur, pori cutis obſtipantur, color in pallidum, lividumque mutatur, ſanguis ad interiora repellitur, fluida denſantur, coagulantur. 2°. Creſcente frigore magis liveſcit cutis, fortiùs

inſpiſſatur ſanguis, dolor acris, pungens, rodens exſurgit, torpet alius ſenſus, rigent artus, tremit corpus, muſculorum contractio difficilis evadit; reſpiratio laborioſa, mucus narium extillat, ungues incurvantur & livent. 3°. Intereà humores congelatos ſi calor internus vel externus ſubitò reſolvat, illi putreſcunt, fit ſphacelus &c. ad qualitates tactiles mutatas pertinet corporis aſperitas, inæqualitas, ut tumor, depreſſio, &c. de quibus ſuprà (40.) *vide* morbos cachecticos infrà.

62. *Humiditas* ſeu intemperies humida datur quoties ſolida, & fluida corporis humani ſcatent humido ſeu latice aqueo ipſorum textum intimum penetrante & laxante, undè partium mollities, raritas, textus veluti ſpongioſus.

Alia eſt univerſalis, undè corpulentia, glabrities, partium flexilitas, flacciditas, albedo cutis, ru-

bedo minima : alia particularis, quæ ſana eſt, ut in cerebro, medulla, &c. vel vitioſa, ut ſi cordis, ſi muſculorum, ſi penis textus humidior & laxior evadat, undè motus debilior, ſenſus obſcurior.

Principia ſunt 1°. quæcumque ſeroſum laticem laxare valent aut rariorem efficere. 2°. quæque ſeroſum laticem in illis interſtitiis, vel poris retinendum ſuppeditant. 3°. Conſtitutio nativa, hæreditaria, ortus à parentibus cachecticis, morbidis. 4°. Uſus humidorum, ut aquæ meræ præſertim paluſtris, fructuum refrigerantium, balneorum, aëris auſtrini & humidi. 4°. Impedimenta excretionum ſeroſarum, ut ſudoris, perſpirationis, ſalivæ, muci, urinæ, leucorrheæ ſuppreſſio intempeſtiva; hæc faciunt vita otioſa, mœror, ſomnolentia. 6°. Atonia à longis morbis prægreſſis producta.

Phænomena. 1°. Mollities major. 2°. Laxitas in carnibus, minor elaſticis-

tas. 3°. Minor irritabilitas, ſenſus hebetior, motus tardior. 4°. Excretiones ſeroſæ, mucoſæ, faciliores, uberiores, ſic pueri humidi ſunt, & muco narium, ſalivâ, humiditate capitis, aurium ſcatent. 5°. Diſpoſitio ad œdemata, ad hernias, luxationes. 6°. Minor vis motrix in muſculis, in corde, undè pulſus mollis, ac proindè minor affrictus, minor calor. 7°. Senſus eò acutior eſt, quò fibræ nerveæ magis tenſæ; ergo ratione contrariorum in humidis ſenſus hebetior, imaginatio tardior, pathemata languidiora, appetitus omnes, ut ciborum, veneris, potûs, minùs vividi. 8°. Adde capillos flavos, iridem cæruleam, ſexum ſæpè femineum, ætatem puerilem, &c. inter ſigna.

63. *Siccitas*, intemperies ſicca, eſt conſtitutio fluidorum & ſolidorum in quâ debito minor eſt ratio ſeroſi laticis ad partes fibroſas & glutinoſas, undè partes aridæ, ex-

ſuccæ evadunt. Alia eſt ſimplex, alia combinata, ut cum acrimoniâ fluidorum, cum erethiſmo ſolidorum; alia eſt univerſalis, ſeu toti communis; alia partialis, ut ſiccitas oris, linguæ, pulmonum, undè raucedo, tuſſicula; alvi, undè conſtipatio, &c.

Principia 1°. Quæcumque carnes condenſant conſtanter, ut abuſus liquorum ardentium, labor aſſiduus, exercitia diuturna in aëre frigido, ſicco, pulverulentæ artes, nec-non quæ ad fornaces, clibanos, caldaria factitantur. 2°. Quæ fluida coagulant, inſpiſſant, ut ætate ſenili fit. 3°. Erethiſmi febriles, ſpaſmodici, dolorifici, qui fugacem ſiccitatem inducunt. 4°. Evacuationes uberiores viâ perſpirationis, diarrhææ, diureſis, ptyaliſmi, leucorrheæ, ſudoris, &c. diæta ſicca ſeu uſus alimentorum ſiccorum, craſſorum, viſcidorum, ut fit quadrageſimali jejunio, cum potu

aqueo parciori, vel potu caffé, vini, aquæ vitæ uberiori. 6°. Vigiliæ protractæ, pathemata vivida. 7°. Ætas ſenilis. 8°. Vita ruſtica, venatoria. 9°. Uſus ciborum fumo & ſale conditorum, tabaci, &c.

Phænomena ſunt. 1°. Cutis arida, non glabra, venæ minùs turgidæ, minùs cæruleæ, color capillorum nigricans. 2°. Mens vivida, niſi combinetur ſiccitas cum rigiditate ut in ſenibus, ingenium acre, appetitus vehementes. 3°. Calor habitualis apud adultos ſiccos, ob affrictus majores, & fluidorum acrimoniam. 4°. Erethiſmus ob majorem ſolidorum exſuccorum denſitatem; hinc major carnium firmitas, elaſticitas. 5°. Fluidorum acrimonia, maximè ſi calor habitualis ſit cum ſiccitate combinatus, undè diſpoſitio ad eryſipelata, herpetes, exanthemata, pruritus. 6°. Impetus major ſanguinis cum tenſione arteriarum, undè diſpoſitio ad

morbos inflammatorios & bilioſos.

Siccitas partialis, ut *uteri*, undè ſterilitas, catameniorum retentio; ſiccitas *narium*, undè coryza, &c.

Exceſſus vitioſus cujuſvis qualitatis phyſicæ primariæ, ſcilicèt caloris, frigoris, ſiccitatis, vel humiditatis vocatur intemperies, Græcis *dyſcraſia*. Verùm vitium in organis ſeu ſtructura corporis eſt prava conſtitutio, ſeu *vitioſa diatheſis*, quarum præcipuas ſimplices hactenùs recenſuimus. Dantur autem vitioſæ conſtitutiones compoſitæ, quarum præcipuæ ſunt *robur* & *debilitas*.

64. *Robur* ſeu robuſta conſtitutio ea eſt diſpoſitio corporis, & potentiæ motricis conditio, quæ hominem ad vires majores habitualiter exerendas aptum faciunt.

Illa diſpoſitio in ſolidis exigit muſculos craſſos, firmos ſimul & elaſticos, fluidum nerveum, copioſum & actuoſum, ex parte animæ audaciam & immunitatem à metu,

mœrore. Diſtinguendum eſt robur habituale ab actuali vi; vis enim actualis poteſt eſſe magna, licèt robur ſit exiguum; qui etenim debiles ſunt illi, ſi quidquid habent virium, impendant ad unicam actionem, illi vim quidem magnam exerunt ſed citò exſolvuntur; qui verò robuſti ſunt, illi magnas vires citra debilitatem & laſſitudinem exerere poſſunt per longum tempus.

Principia conſtitutionem robuſtam inducunt. 1°. Ortus à parentibus ſanis, vegetis. 2°. Vita puerilis ſinè morbis, adeòque ſanguis & lympha puræ, nullo vitio inquinatæ. 3°. Vita ruſtica, exercitata, lauta tamen. 4°. Victus ex alimentis ætati, exercitio congruis, eupeptis. 5°. Uſus modicus veneris, bacchi, ſomni, ſtudii. 6°. Moles organorum, motus, ut cerebri, muſculorum, in debitâ proportione, magnâ cum firmitate, tono, elaſticitate ſolidorum, aliquali ſanguinis viſcoſitate.

Phænomena.

Phænomena. Robuſti facilè omnes ferè exceſſus tolerant à quibus debiles citò læderentur, illis thorax latus, occiput amplum, artus toroſi, pili hirſuti, caro multa, pinguedo pauca, cutis dura; reſpiratio & arteriarum pulſatio lenta, rara; plena, æqualis, conſtans: alvus tarda, urina cocta, ſomnus altus, reficiens; voracitas cum digeſtione facili; animi & corporis firmitas. Undè liquet robur eſſe optimæ ſanitatis comitem. Verùm robuſti ſunt cæteris minùs temperantes, roborique ſuo nimiùm confidentes, hoc abutuntur, & facilè incidunt in morbos inflammatorios, ut pleuritidem, peripneumoniam, in morbos à plethorâ, ut hæmorrhoïdes, atque ea conſtitutio in ægris optimè notanda, ut-potè quæ fortiora tolerat auxilia, quæ debilibus nocerent.

65. *Debilitas* ſeu conſtitutio delicata, tenera, imbecillis, eſt ea in

quâ homo actiones & niſus ſolito fortiores exercere non poteſt ſine virium proſtratione, laſſitudine, difficultate & turbâ. Alia eſt debilitas univerſalis; alia particularis, ut debilitas cerebri, ſtomachi, pulmonum, artûs, &c. alia nativa, & habitualis; alia acquiſita & accidentalis.

Differt ab aſthenia quæ morbus eſt; debilitas verò diſpoſitio ad morbum; vocatur, gallicè *conſtitution foible*, *délicate*, *fluette*, *&c.* Principia ſunt 1°. fibrarum, muſculorum, oſſium gracilitas, & tenuitas, undè habitus tenuis, ſanitas fluxa, *corps fluet*. 2°. Fibrarum teneritudo, ſeu textus rarus, minùs compactus, *conſtitution tendre*; undè carnes flexibiles, molles, ſive cum corpulentiâ adiposâ, ſive cum extenuatione. 3°. Fibrarum gracilitas ſimul & teneritudo, *conſtitution délicate*, ſive cum erethiſmo, undè *temperamentum vividum*, ſive ſine

erethiſmo & potiùs cum torpore, undè *temperamentum molle* 4°. carnes autem tenuibus, gracilibuſve fibris confectæ, ſunt vel *firmæ* vel *ſpongioſæ*, *teneræ* vel *tenaces*. Firmæ ſi compactæ & condenſatæ ſimul, ut in feris, maſculis, *ſpongioſæ* ſi fibræ non ita intimè coadunatæ, ut in animalibus domeſticis, eæque carnes ſunt vel *teneræ* ut junioribus animalibus, vel *tenaces* ſeu extenſiles citra rupturam, elixatione multùm condenſabiles, ut carnes vetularum, ovium annoſarum, &c. 5°. Ad debilitatem habitualem multùm faciunt meticuloſitas, mœror, puſillanimitas, graves ærumnæ. 6°. Necnon infantia multis morbis obnoxia, boni lactis inopia; qui verò pluribus morbis obnoxii fuere, & levi de causâ ægrotant, *valetudinarii* dicuntur, illis ſanguis eſt effetus, ſeu partibus actuoſis purpureis depauperatus, ſolida ob repetitos conatus morboſos laxata, fluidum nerveum paucum.

Phænomena conſtitutionis fluxæ & gracilis fibrarum ſunt 1°. actiones debiles, & inconſtantes tum animi tum corporis; nec enim magna pondera ſuſtentari, nec magnæ reſiſtentiæ ſuperari poſſunt à muſculis gracilibus, quorum fibræ ruptionem indè paterentur, nec magnæ animi contentiones ſuſtineri poſſunt citra laſſitudinem, cephalalgiam, &c. actiones naturales etiam parvæ & facilè mutabiles; ſic pulſus eſt parvus & frequens, reſpiratio parva & frequens ſaltem à levi niſu, pathemate, curſu, vociferatione; in animi pathematis, ut mœrore facilè turbatur, intermittitur cum palpitatione & dyſpnæâ; in gravi periculo deſperatio, convulſio, delirium præſtò ſunt. Intereà qui fibras habent tenaces, licèt carnibus mollibus præditi, ut vetulæ, imò plures mulieres paucioribus morbis acutis inflammatoriis ſunt obnoxiæ; & licèt ſæpiùs ægrotent, non ita facilè ſuc-

cumbunt, ac robuſtiores, imò vitam valetudinariam quidem, ſed longiorem ducunt.

Conſtitutio tenera cognoſcitur ex virium languore, necnon ex diſpoſitione ad hæmorrhagias propter vaſorum fragilitatem vel teneritudinem; adeſt irritabilitas, licèt enim fibræ non ſint tenſæ, nec multùm elaſticæ, quia tamen ſuæ debilitatis conſcii ſunt illi homines, hi ſibi continuò metuunt, continuò cavent & à levibus impreſſionibus vividè percelluntur.

Conſtitutio *delicata*, iiſdem eſt obnoxia malis, quibus tenera & gracilis, ſive vivida ſit, ſive torpida. Cognoſcitur verò ex cute ad tactum glaberrimâ, molli, albiſſimâ, facie oblongâ, oſſibus exiguis, laſſitudine ex quovis labore inaſſueto, puſillanimitate, pulſu exili, frequenti, hæmorrhagiis levi de causâ accidentibus, diſpoſitione ad morbos, &c.

Debilitas verò partialis cognoſcitur ex difficultate, turbâ, ex debilitate actionum partis affectæ, diſpoſitione ad morbos ejus partis, &c. *Debilitas pulmonum* cognoſcitur ex eorum ſiccitate, raucedine, dolore ex cantu, loquelâ altiori, ex voce clangosâ, exili, acutâ, hæmoptoë ſine causâ evidenti. *Debilitas ſtomachi* eſt impotentia digerendi cibos paulò majoris copiæ, vel coctionis minùs facilis; ita ut ſinè causâ evidenti alimenta etiam optima gravitent in ventriculo, diutiùs intra ipſum remorentur, vel vix cocta ano aut cato evacuentur, aut dolores, cardialgias inducant, ſi vel paulò lautiùs, frequentiùſve ſumantur. *Debilitas oculorum* eſt eorum aptitudo ad ophtalmias, ſuffuſiones, dolores, amblyopias ex levi lectione, vel lucubratione, ſuſcipiendas, &c.

SECTIO II.

AITIOLOGIÆ.

De Principiis ægritudinum procatarcticis.

PRincipia ægritudinum quæ ab ipsâ plebe prima incuſantur, ut potè vel externa vel evidentia, vocantur *procatarctica* quaſi præincipientia, vulgò cauſæ procatarcticæ. Principia procatarctica reducuntur ad ſenarium numerum, nomine licèt parùm apto, rerum *non naturalium*, & ſunt aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, excreta & retenta, & animi pathemata: vel juxta Galenum ad quaternarium numerum, ſcilicèt ad *ingeſta*, ut cibus & potus, venena, medicamenta, *retenta* ut fæces, ſaburra, calculus, vermes, *applicata* ut aër, veſtimenta, balnea, dentes fera-

rum, corpora &c. & *geſta* ut motus & quies, ſomnus & vigilia, pathemata vivida & languida. Quæ omnia, docente Pitcarnio, reduci poſſunt ad actionem aliorum corporum in nos, & actionem ipſius hominis in ſe ipſum.

1°. *De Corporum actione in Hominem.*

66. Corpora quæ agunt in nos, ſunt, vel nobis neceſſaria ut aër, eſculenta, potulenta, veſtes; vel non neceſſaria ſeu quibus abſtinere poſſumus, ut myaſmata, venena, percutientia, vulnerantia, &c. priorum cognitio utilior eſt, & fuſiùs inquirenda.

Corpora agunt in nos vel principiis *mechanicis* ut mole, motu, ſitu conſpicuo, figurâ, &c. vel principiis *phyſicis* ut adhæſione ſeu attractione, fermentatione, putrefactione, diſſolutione, id eſt, vi corpuſ-

culis inſenſibilibus inſitâ. Sic alimenta quantitate nimiâ aſſumptæ agunt per principia mechanica; venena verò non quantitate, ſed qualitate agunt, ſeu per principia phyſica, ſcilicèt rodendo, coagulando, &c. ſic glans plumbea deglutita agit ratione totius ſeu figuræ, ponderis, &c. pilula verò antimonialis agit non ratione figuræ, ponderiſve, ſed vi irritante particularum minimarum. Atque exindè petitur diſcrimen, quod datur inter auxilia chirurgica ac gymnaſtica, quæ ſunt inſtrumenta ratione totius agentia, & auxilia pharmaceutica ac diætetica ſeu medicamenta & alimenta quæ agunt ex principiis phyſicis.

Alimenta ſunt corpora vegetabilia vel animalia, quæ vi digeſtionis in chilum mutata, valent ſanguinem noſtrum reparare. Dividuntur in eſculenta & potulenta: vitioſa evadunt quantitate, qualitate, tempore.

Quantitate excedente alimenta, vel non ſatis digeruntur, undè irritant ventriculum, indè gravamina, cardialgia, nauſea, vomitus, diarrhæa, &c. vel digeruntur, & indè plethora atque ejus incommoda, (52.)

Qualitate peccant 1°. ſi ſint *acida* vel aceſcentia, & à pituitoſis, frigidis edantur, talia ſunt fructus omnes carnoſi, cucurbitacei, baccæ, ſemina farinoſa, herbæ oleraceæ, acetaria, panis non fermentatus, acetum, limones, ceraſa, aurantia mala, omphacium, &c. hinc ſaburra acida, cujus effectus *vide* (47.)

2°. *Alkaleſcentia* ut aromata, condimenta, piper, cinnamomum, zimgiber & ſimilia, quæ ad irritamentum gulæ copioſiùs ſumuntur, eaque calorem, ſitim, ſiccitatem inferunt, ſicque nocent bilioſis calidis. (48.)

3°. Salina neutra, ut ſal marinum, garum, muria, ſalſamenta

quæ tùm à guloſis, tum à puellis picâ laborantibus avidè deglutiuntur, & præſtant ferè effectus alkaleſcentium, ut ſinapis, allii, cepæ, raphani.

4°. *Flatulenta*, ut ſunt fructus leguminoſi, cicer, lens, faba, piſum, phaſeolus & ſimilia, quæ ſive quadrageſimali tempore, ſive à pauperibus ob meliorum penuriam adhibeantur, flatus, colicas, borborygmos, &c. generant.

5°. *Viſcoſa*, tenacia, glutinoſa, ut panis non benè fermentatus, caſtaneæ, caſeus multiplex, cremores ex ſeminibus cerealibus mayde. milio, oryzâ, avenâ, hordeo, ſpelta, tritico; nec-non laridum, adeps, axungia, gelatinæ, creant pondus ſtomachi, nauſeas, anorexiam.

6°. *Oleoſa-rancida* vel acria ſunt piſces ſaliti, aut muriâ conditi, ut haleces, clupeæ, harengi, ova piſcium vulgò *Boutargue*, laridum

ſalſum, carnes & piſces frixatione cocti, ad fumum exſiccati, condituræ, fricturæ; eâ ratione olei, butyri, vel adipis ignem paſſi, aut fumo & ranciditate vitiati, ſtimulant, vellicant & calefaciunt, ratione ſalſamenti ſitim, ſiccitatem procreant, undè mala ſcorbutica, herpetes, ulcera, cancri foventur. Hinc patet quid agant alimenta quadrageſimalia (*maigres*) non ſelecta: quid bileſcentia, ut dulciaria, ſaccharata, trageæ, marcipanes.

7°. *Succulentiora* polytropha, ut ex carnibus avium cortalium, coturnice, phaſiano, perdice, ſcolopace, atque eorum vel quadrupedum juribus, juſculiſque conſummatis & gelatinis, vulgò *coulis*, *gelées*, *conſommés*. Qui nutriuntur uberiùs non ſolùm plethoram veram, ſed etiam acrimoniam & excandeſcentiam ſanguinis contrahunt; undè cephalalgiæ, hæmorrhagiæ,

hæmorrhoïdes, laſſitudines, exanthemata.

Nocent *tempore*, ſive ſæpiùs in die aſſumantur ab adultis non multùm exercitatis, quod infantibus & operariis, ruſticiſque tantùm convenit: hinc mala, quæ ab auctâ quantitate procedunt, ſi digerantur, ſed raro digeruntur ex eo quòd ventriculus nondum à priori cœnâ vacuus, repetitis epulis conſarcinatus impar eſt his coquendis; undè ſaburræ multiplices, putridæ, bileſcentes, acidæ, viſcoſæ.

Potulenta nocent 1°. *quantitate* quòd plethoram inducunt, undè diſtenduntur vaſa, hæmorrhagiæ excitantur, maximè ſi vinoſa, vel ſpirituoſa fuerint 2°. *qualitate* nocent ſpirituoſa, ardentia, vina, liquores, quæ ſpiritu ardenti ſcatent ob fermentationem prægreſſam, talia ſunt vina hiſpanica, burgundiaca, vina Rhodani, Occitaniæ inferioris, nec-non liquores ſpiri-

tuoſi, aqua vitæ *punch*, *ſcubac*, quibus omnibus viſcera indurantur, lympha coagulatur, vaſa immeabilia fiunt; undè anorexia, ſitis, acrimonia ſanguinis, exanthemata faciei, tremores, paralyſes, aſcites, &c.

3°. Qualitate nocent, ſi aquæ putreſcentes ut paludoſæ, lacuſtres, morâ vitiatæ, argilloſæ, piſcium & plantarum immorientium putredine corruptæ, in uſum venerint; indè febres intermittentes, malignæ, & viſcerum obſtructiones, indurationes ſoboleſcunt; hinc œdemata, aſcites.

4°. Nocent etiam aquæ nivales frigidiores, puteales graviores, maximè ſi copioſiùs ingerantur; indè cachexia ſeroſa, frigus, laxitas, œdema. Huc pertinet uſus limonatæ, hordeati, omphacii, intempeſtivus.

5°. Nocet bilioſis, ſiccis, calidis frequentior uſus *coffeæ* quæ vigi-

lias, tremores, cephalalgias, fervores inducit. Huc *cocolata* referatur, ſi cinnamomo, vanigliâ, aliiſque aromatis ſit ſeta, quæ ſenibus, frigidis & pituitoſis tantùm conveniunt.

Si alimenta tum eſculenta, tum potulenta deficiant, in ipſa non refundendi ſunt morbi, qui indè proveniunt; abſurdum enim foret morbos poſitivos, negationi ciborum ſeu nihilo tribuere: verùm illi tribuendi ſunt actionibus hominis in ſe ipſum tum liberis, tum naturalibus, quæ, ſi non remittantur pari paſſu, quo pabulum deficit, ut remittuntur gliribus, ſerpentibuſque per plures menſes ſinè paſtu dormientibus, vires exhaurient, & humores in fluidum alkalino-volatilem ſulphureum ac putrem diſſolvent; alimenta enim quotidiana ideò ſunt potiſſimùm neceſſaria. quòd aceſcentiâ ſuâ, vel aquoſitate, vel chili blanditie, & mucilagine acrimo-

niam putrem, in quam ſanguis vergit continuò, retundant, lixivient, edulcorent, ſicque mixturæ diſſolutionem putredinoſam arceant.

Corpora, quæ partibus inſenſibilibus ſuis agentia valent ita mutare corpus noſtrum, ut ſanitatem recuperet, vocantur *medicamina*, quæ eatenùs ſalubria ſunt quatenùs mutant ſtatum pejorem in meliorem, ſed per ſe nec ſalubria ſunt, nec inſalubria; occaſio & diſpoſitio ægrotantis, cui applicantur, totum diſcrimen facit; ita ut optima in caſu ſolidorum ſtimulatorum narcotica, in caſu torpidorum venena fiant; ſicque ipſa venena ut emetica in caſu ſaburræ ſint medicamina, quæ ventriculo ſano, vel inflammato ſunt pernicioſa. Modus utendi itaque facit ex veneno medicamentum, & ex medicamento venenum. Nocent itaque medicamenta uti venena præpoſterè uſurpata totuplici modo, quot ſunt claſſes

medica-

medicaminum ; adeòque alia alterando, alia evacuando.

Evacuantia ut emetica, cathartica, ſtimulant, irritant ventriculum, nauſeam, anorexiam, vomitum, diarrhæam producunt. Diuretica dyſurias, tentigines, mictus cruoris excitant ; emmenagoga, febres, ſitim, cephalalgias creant.

Alterantia, alia irritant & calefaciunt, ut veſicatoria, cauſtica ; alia putrefaciunt & diſſolvunt, ut ſeptica, vipera ; alia convellunt, ut arſenicalia, ranunculi, helleborus ; quædam dementant, ut cicuta, hyoſciamus, ſtramonium ; quædam epilepſiam inducunt, ut coriaria ; multa ſtupefaciunt, ut opium, mandragora ; alia coagulant, ut acida mineralia, ſpiritus nitri, ſulphuris.

Myaſmata ſeu corpuſcula inſenſibilia & volatilia, vel aëri innatantia, vel ex ægris exhalantia, vel contactu ſerpentia, ſunt ejuſdem generis. Talia ſunt *myaſmata* è ſinu

telluris & minerarum emiſſa, quæ morbos epidemicos inducunt, *vapores* putres ex ſepulcretis, è paludibus, ex exercituum latrinis, ex ſqualidis noſocomiis erumpentes; mephytides ex tellure vel ex fundo minerarum, vel ex cellis diù clauſis prodeuntes, quæ in nictu oculi lampades extingunt, & omnia animalia ſuffocant. *Contagia* quæ ex ſyphiliticis, ſcorbuticis, peſtiferis, varioloſis, ſcabioſis ſuſcipiuntur; ea omnia cum aëre inſpirantur, cum cibis deglutiuntur, vel odoratu, ſuctu, attactu, adhærent poris abſorbentibus, à quibus intrò ut à tubulis capillaribus rapiuntur.

Retenta vocantur, quæ ideò ſumuntur, vel in corpore generantur, ut certo poſt tempore foràs ejiciantur, ſecùs nocitura, velut *Excrementa* liquida, ſolida, fœtus, necnon quæ à vitioſis principiis intrò generantur, ut calculi, vermes, pus, ichor.

Perſpirabile quotidiè aſſurgit in ſtatu ſano ad dimidium ingeſtorum ſenſibilium. Hoc intra corpus retento ad libram unam circiter accedit gravitas corporis ad ſenſum major quàm ad ſtateram, ſeu laſſitudo, animi mœror, anorexia, & niſi vel intra tres dies ſuperfluum perſpiretur, vel uberiori urinæ proventu ejiciatur, febris, cephalgia aliique morbi superveniunt, de quibus conſulentur Sanctorii, Keillii, Dodartii & Robinſoni obſervata. Perſpiratio, alia *pulmonaris* quæ quotidiè ad 22. ferè uncias aſſurgit. Alia *cutanea* quæ ad 11. circiter extenditur, ſuppreſsâ pulmonari vox rauca, tuſſis, rheuma producitur. Perſpirabile juxta Sanctorium, aliud eſt *Craſſum*, aliud *tenue* l. 1. aphor. 75. tenue citiùs avolat, & non ita facilè putreſcit; craſſum verò diutiùs retentum, calore & motu inteſtino, maximè ſi ſit myaſmatis forinſecùs accedentibus, vel intùs generatis,

coinquinatum, gravibus morbis anſam præbet.

Urina Retenta in veſicâ producit pondus hypogaſtrii, lumborum, dolores, &c. ſed ſi retineatur in ſanguine, vel in ipſum refluat ob facilem aditum ex pelvi in venulas renales, ea vomitus, dolores nephriticos, deliria, tremores, ſitim, febrem ardentem & mortem inducit: urina ſiquidem intra paucos dies retenta acrimoniam alkalinam contrahit, quâ partes potiſſimùm nerveæ acerrimè vellicantur. Urinæ copia eſt vix dimidia pars perſpirabilis eodem tempore ſecreti; undè minor plethora ab urinâ quàm à perſpiratione retentâ producitur.

Fex retenta minùs nocet aliis excrementis, quia decies minor eſt ejus moles eodem tempore excernenda quàm moles perſpirabilis; undè fit ut per benè multos dies poſſit alvus conſtipata remanere citra noxam, niſi fex ſolito acrior

fuerit: noxa enim ab excrementis quibuſvis retentis proportione reſpondet & quantitati & acrimoniæ ejus conjunctim. Atque conamina naturæ ad illud noxium expellendum proportione reſpondent non ſolùm illius quantitati & acrimoniæ, ſed etiam naturæ facultati & ſenſibilitati; ita ut qui potentior eſt, & magis ſenſibilis, is vehementiores conatus exerat, ut patet ex teneſmo, dyſuriâ, &c.

Ex cryptis ſeu glandulis ſebaceis capitis, pudendorum, dorſi, &c. fluit oleum quoddam viſcidum à perſpirabili diverſum, quo inunguntur partes; eo verò ſuppreſſo fiunt porrigines, ſcabies, pruritus, herpetes. Ita ex ſemine retento, inſomnia venerea, nocturnæ pollutiones oriuntur; ex ſuppreſſo muco narium, gravedo, coryza, ſternutatio, &c. ex ſuppreſſo partu fiunt dolores lumborum, tormina uterina, conatus uſque ad debilitatem

extremam, ſuperveniunt morbi ſoporoſi, convulſiones, cum iſchuriâ, conſtipatione, demùm mors.

Ex ſuppreſſo lacte febris cum rigore & horrore, quæ ſolvitur ſudore acido, urinis turbidis, ſecùs ſuperveniunt dolores rheumatici, febres chronicæ, œdemata, ſuppurationes, &c. natura ſcilicèt, cùm viæ conſuetæ cujuſdam evacuationis nimiùm ſunt occluſæ conatus ſuos aliò dirigit, invenit ipſa ſibi vias ad materiæ noxiæ eliminationem, ut ait Hippocr. VI. *Epidem.* Catamæniis, hæmorrhoïdibuſve retentis datur plethora (52.)

Ova inſectorum plurimorum cum alimentis inſpirata, aut à muſcis nares, os, ulcera, & in brutis anum ſubeuntibus, vel corium proboſcide ſuâ perforantibus, hæc ova intrò deponuntur, dein verò ſi calorem incubatui neceſſarium nec non pabulum aptum ſortita ſint, hæc ova excluduntur; undè prodeunt

lumbricus, tænia, aſcaris primarum viarum hoſpites, in cute capillatâ, pediculi, culices; pediculi inguinarii, crinones Ægyptiorum acari, &c. in ſinubus frontalibus, in ductu choledoco, in glandulâ æſophagæâ, aliiſque locis inſecta varia ut erucæ, varenæ, &c. aliaque vix cognita. Utrum hæc inſecta ad famem excitandam, aut alium in finem utilia ſint, determinare non ſuſcipio. Verùm certum eſt paucos homines illis moleſtari, cùm vix ullus ſit qui ab hiſce ovis immunis ſit; veroſimile eſt itaque illa ſucceſſivè eſſe è corpore ejicienda; & ſi retineantur & excludantur, ſæpè nocere mordendo, vellicando, proboſcide ſuâ perforando, nidos ſuos cudendo; non excluduntur autem ob virium, caloris & fermentorum debilitatem, excuduntur ob pabuli acido-dulcis copiam, ob bilis vappiditatem, &c. atque exindè mala multa ſoboleſcunt, verminoſa dicta, in primis

viis, in cute verò paſſio bovina, vena medina, ſcabies, ulcera verminoſa, &c.

Lues dicitur myaſma, vel effluvium morbificum & contagioſum quod vel intrò generatur ut ſcorbuticum, phtiſicum, ſcabioſum, vel aliundè in nos ſerpit ut ſyphiliticum, hydrophobicum, varioloſum, peſtilens, quorum eſſentia & agendi modus adhuc altis ſunt involuta tenebris: vereſimile tamen eſt haſce lues eſſe indolis alkalinæ, corroſivæ, ſepticæ, in quam animalium omnium fluida ſpontè tendunt, fortè inſecta quædam americana venenatiſſima hiſce effluviis originem dederunt, ut canes, lupi, viru hydrophobicum primi parant: indè verò diri morbi progerminant.

Applicata duplicis generis ſunt vel mechanicè vel phyſicè lædentia. Prioris ordinis ſunt veſtimenta, balnea, aëris pondus, dentes, calces animalium, lapides, enſes, veſtes, aliaque,

aliaque, quibus corpus noſtrum contundi, vinciri, premi, vulnerari poteſt. Poſterioris ordinis ſunt quæ agunt urendo, rodendo, diſſolvendo, exſiccando, humectando, quæque poſſunt reduci ad *meteora*, ut ſolis radios, aerem, pluviam, nivem, ventum, &c. *ad foſſilia*, ut lapides, ſalia, metalla, ſulphura, concreta, aquæ, &c. *vegetabilia*, ut alimenta, venena, medicamenta. *Animalia*, edulia, venenata, mordentia, calcitrantia &c. *Artificialia*, veſtimenta, laquei, inſtrumenta varia. Pauca attuliſſe ſufficiet.

Aër nocet mechanicè vel pondere vel motu ſeu impetu *pondere majori*, ut in locis depreſſis, mineris, undè aſthma, quod aſcenſu in loca montana ſanatur: *pondere minori*, ut in excelſis montium cacuminibus, tempeſtate nubilâ, locis clauſis & calidis. *Nocet impetu* ſeu vento, qui oculos teneriores verberat, inflam-

mat, qui atmoſphæram calidam, quibus ſumus involuti, aufert, qui cutem exſiccat, corrugat, &c.

Agit phyſicè. 1°. Si frigidior ſit & inaſſuetus, undè perſpiratio, muci narium ſecretio præpediuntur, cutis criſpatur, nervi torpent, muſculi rigent, fluida in extremis artubus congelantur, congelata putreſcunt, indè mala plurima.

2°. Si calidior, ut ab inſolatione, producit uſtiones cutis, eryſipelata, cephalalgias, febres ardentes.

3°. Si humidior ſit; inde catarrhi, raucedines, rheumatiſmi, aſcites, œdemata, cachexia, &c. ſoboleſcunt. His morbis obnoxii ſunt qui vitam in aquis ſæpè degunt, ut piſcatores, coriarii, lotrices, hortulani, molitores, &c.

Si aër fuerit ſiccior, tuſſes, dyſpnæas, ophtalmias, &c. is inducit. His obnoxii ſunt artifices pulverulenti, ut frumenti cribratores, gypſi piſtores; qui juxta for-

naces aſſident, ut vitriarii, aurifabri, ferrifabri, calcarii, meſſores, &c. *vide* affectus ab aëre calidiori.

Amictus ſeu veſtimenta, alia humiditatem combibunt, ut coria quæ omnium maximè, veſtimenta ex pilis, laniſque animalium, quæ minùs; & quæ ex partibus vegetabilium, quæ omnium minimè. Qui itaque humidum combibere non debent, illi utantur linteis potiùs quàm veſtibus laneis, bombycinis, aut pelleis. Maximè verò convaleſcentes, dormientes tempore nebuloſo, nocturno, multò plùs humidi ex aëre attrahunt. Amictus atmoſphæram corporis aëre calidiorem retinent, adeòque frigus arcent, atque maximam morborum partem deducebat Sydenhamius ex ſeriori veſtium hibernarum aſſumptione, & maturiori earum depoſitione. Veſtibus juvatur perſpiratio, calor, mollities. Eſt etiam veſtibus arctè appreſſis, necnon cingulis & vinculis

vis mechanica, quæ lumbos, crura ſuſtinet, & ad magnos curſus, conatus edendos diſponit; ſed à firmioribus ut chlamidibus, quibus puellæ vinciri ſolent, mala plurima conformationis ſuperveniunt.

Balnea agunt pro ratione humiditatis, caliditatis, frigiditatis, adeòque eorum effectus iidem ſunt ac aëris humidi, frigidi, &c. tepida macilentis, hypochondriacis, ſyphiliticis, ſtudioſis ſordidis, herpeticis ſunt ſalubria: frigidis, pituitoſis, aſciticis, gravidis, cachecticis, œdematoſis ſunt noxia.

Incurrentia corpora, vel corpori ex alto labenti, currenti reſiſtentia ſimilem preſſionem inferunt, quæ eſt proportionalis quadrato velocitatis reſpectivæ; ita ut impreſſio facta v. g. manui à ferulâ major ſit quadruplò, vel ſi ferula duplò velociùs moveatur, & manus firma & immota maneat: nulla verò, ſi manus pari velocitate recedat, quâ accedit

ferula; omnium maxima, ſi ferula manum obviam euntem impetat. Vis corporum impetentium eſt abſoluta, ſi earum moles, & velocitatis quadratum tantùm conſiderentur, & ſe habet ut moles ducta in illam velocitatem quadratam: vis verò reſpectiva ſeu momentum æſtimatur ex longitudine vectis per quem ipſi reſiſtitur: ſic ſi brachium firmiſſimè tenſum impetatur vel à corporis noſtri lapſu, vel ab externo corpore, quò propiùs omoplatæ percutitur, eò minùs luxationis periculum, ob vectis brevitatem; quò longiùs, eò majus. Ex his intelligitur cur parva vis abſoluta poſſit oſſa utcùmque dura, & tenacia frangere, luxare, ſi ſcilicèt utatur oſſibus tamquàm vectibus commodis, & in ipſorum axim perpendiculariter agat; cur verò oſſa directè ſeu juxta ſuum axim preſſa, vel tracta ponderibus quàm-maximis reſiſtant. Quidquid corpus impetit vel premit

majori vi quàm eſt partium tenacitas, illud vulnerat vel frangit ſive agat ſolâ vi abſolutâ; ſic glans plumbea è catapultâ vibrata, utcùmque obtuſiſſima ſit, perforat & vulnerat. Sic ab ictu baculi velociſſimo oſſa franguntur, partes inciduntur. Sed minor vis abſoluta, ſi tota in pauca cutis puncta feratur, ut in inſtrumentis pungentibus; vel ſi lineam, aut ſuperficiem ſtrictiſſimam impetat, ut in ſecantibus, valet hanc tenacitatem ſuperare vi cunei.

Omnia fluida gravitatis ſpecificæ æqualis nobiſcum, vel minoris adhærent noſtris ſolidis, ſed adhæſio eſt niſus in contactum, adeòque actio, atque ſic illa fluida in nos agunt; & ſi permittat ratio orificiorum cutis & minuties partium fluidi, hujus fluidi particulæ corporis poros ſubeunt, intra ductus capillares rapiuntur, atque eo pacto medicamina externa emolliunt, vellicant, diſſolvunt, urunt, rodunt, & interiora ſu-

beunt, talis eſt actio phyſica omnium applicatorum: ſi verò corpora dura applicentur corpori, quoniam ex nobis emanant ſemper effluvia, adeòque fluida iſta corporibus externis adhærebunt; ſic ſi corpus denſum, ut marmor, applicetur corpori, effluvia ignea à marmore rapientur, nequaquàm verò à corpore levi ut plumâ; idem dictum eſto de effluviis contagioſis, ſyphiliticis, &c.

2. *De actione hominis in ſemetipſum, ſeu de Geſtis.*

Actiones hominis in ſemetipſum ſunt vel liberæ ſeu ab intellectu, & voluntate determinatæ: aliæ verò naturales ſeu ab inſtinctu & cupiditate pendentes. Voluntas quidem & cupiditas ſemper inclinant in bonum; illa quidem in bonum intellectuale, iſta in bonum ſenſibile, adeòque in ſanitatem; verumtamen ubi difficile eſt diſtinguere bonum ve-

rum àb apparenti, errat quandòque intellectus: & indè actiones ſanitati nocent licèt liberæ: ſic puellæ ab amicis perſuaſæ ſub ſpe pulchritudinis ſibi comparandæ, vorant gypſum, limones, & errore ſibi nocent, ac picam contrahunt: Inſtinctus verò qui tam tutò dirigit animalia, in homine non ita certus eſt dux, cùm aſciticos ad bibendum impellat, & nauſeantes à medicamentis ſumendis deterreat. Undè medicinæ patet neceſſitas, ut in bonis corporis diſtinguendis intellectum informet, & naturæ famulando ipſi imperet.

Exercitium dicitur actio muſcularis, quæ vires non plures impendit quàm quæ ſingulis diebus victu & ſomno reparantur; ſi plures impendantur, *labor* eſt; ſi pauciores, *otium* eſt.

Labor ſive pathologis motus excedens, fibras quidem roborat, & fluida denſat; verùm eâ ratione vitam breviorem reddit; & ſi violentior

fuerit, exſiccat, exhaurit vires, ſudores movet, muſculos inflammat, laſſitudinem creat, artubus tremores, manibus callos, digitis rigiditatem inducit. Deinde verò pro laboris genere variæ partes afficiuntur.

Curſores anevriſmis, aſthmati, hæmoptyſi, pleuritidi, herniæ, mictui cruento, lienis doloribus ſunt obnoxii.

Equiſones - tabellarii, equis ſuccuſſatoriis currentes, aurigæ, ani callis, ulceribus, hæmorrhoïdibus; &, ſi ſuppedaneis non utantur, impotentiæ, pedum & tibiarum doloribus ſunt expoſiti; adde morbos curſorum, ut hernias, hæmoptyſim, &c.

Tibicines, cantores, oratores, præcones, hæmoptyſi, raucedini, phthiſi, capitis dolori, anginæ, tinnitui aurium, herniæ.

Agricolæ foſſores, pleuritidi, peripneumoniæ, colicæ, aſthmati,

anginæ, eryſipelati; & meſſores cephalalgiæ, triteóphyæ, mydriaſi.

Artifices ſtatarii, ut fabri lignarii, ferrarii, ſculptores, murarii, &c. crurum varicibus, tumoribus, ulceribus, nephriticæ, inappetentiæ.

Otium ſive pathologis quies nimia corporis nocet, non per ſe, ſed quia non impedit ſtaſes fluidorum, ſolidorumque remollitiones, quæ ſolo exercitio præcaventur; hinc fit ut ſanguis non ſatis tritus hæreat, coaguletur; undè ſerum ab eo ſpontè ſecedit, & fibris imbibitur. Hinc humorum, qui excerni debent, retentio & corruptio, non ſufficiens fluidi nervei ſecretio; hinc debilitas, apepſia, anorexia; ſerum à fibris carneis abſorptum producit aphoniam, œdemata, aliaque mala ſimilia.

Artifices ſedentarii qui raró laborant, aut quorum ars non niſi parùm, & paucos artus exercet, ut ſcribæ, notarii, ſartores, ſarcinatrices, tex-

tores, ob ſitum conſtanter anteriora versùs pronum curvi, gibbi evadunt, ſcribæ, ſtudioſi ob ventriculi inter ſcribendum preſſionem minùs benè digerunt, ob capitis inflexionem illi ut lepturgi, & qui veſtes acu pingunt, vertigines, cephalalgias incurrunt; ſarcinatores ob crurum flexuram iſchiadi, crurum ſtupori ſunt obnoxii; qui moletrinas calcatoriis rotis incidentes verſant, vertigini ſunt expoſiti; qui ſimul attentis oculis minutiſſima objecta conſpiciunt, ut aurifabri, ſculptores, pictores minutorum, delineatores, &c, myopiam, ophtalmiam alioſque oculorum morbos ſibi accerſunt.

Vigiliæ, curæ, ſtudium, ſollicitudines, ſunt velut animi labor, eaque diutiùs protracta inducunt agrypniam, melancholiam, virium proſtrationem, anorexiam, conſtipationem, hæmorrhoïdes, vertigines, cephaleas. Si verò acceſſerit ſtudium nocturnum, lectio aſſidua; indè multùm læduntur oculi.

Somnolentia, deſidia, pigrities per ſe non nocent, ſed intereà torpent omnes cerebri, & corporis functiones, ſecretiones, actiones naturales, & liberæ; undè eadem mala procreantur ac ab otio corporis. Corpulentia, ventris intumeſcentia, anorexia ſuperveniunt, memoria, ingenium, aliæque animi facultates torpent.

Actiones naturales aliæ, ſunt conatus ad bona corporis ſectanda, vel mala corporis fuganda, & vocantur *conatus naturæ*: aliæ tendunt ad bona animi vel fortunæ capeſcenda, vel ea mala moralia fugienda, & vocantur *pathemata* ſeu animi affectus. Ambo licèt fine ſuo ſint ſalubria, eventu tamen quandoque ſunt noxia. Sic licèt inter dimicandum homo ſuæ tutelæ acriter invigilet, intereà non ſolùm hoſti, ſed & ſibi ſæpè nocet, & vim infert.

Conatus eſt actio facultatis finem obtinere eo medio cupientis, vel

eo fine inſtituta ut reſiſtentia quædam ſuperetur. Ubicùmque corporis datur vel ſtimulus, vel obex inſtinctu ſeu ſenſu confuſo, imò obſcuro, ut pruritûs, anxietatis, ponderis, doloris, ſtuporis anima admonetur; & licèt illud vitium diſtinctè non agnoſcat, ipſa hujus præſentiam averſatur, & ab ipſo liberari cupit; in eum finem omnes vias tentat, omnes conatus inſtituit, quodlibet experitur ad illud incommodum amovendum: ſic mulier gravida, cùm primùm ſuccus gaſtricus vel ſaliva vitium contraxerunt, moleſtiam inexplicabilem, ſibi ipſi ignotam ſenſationem experitur, quam tollere, vel ſedare cupit, ideòque ſecum meditatur, quibus alimentis id poſſit; undè quidvis explorat, omnia averſatur, uſque dum fortè inciderit in ſingulare quoddam, ut haleces, ceraſa, vel aliud quid, quod vel ſors obtulit, vel finxit imaginatio, quo aſſumpto

ſtatim levatur. Idem dictum eſto de animalibus non dum venerem expertis, quæ ſenſationem à ſeminis ſtimulo ortam experiuntur, quæque remedium licèt ignotum quærunt. Idem de infantibus acida in ventriculo gerentibus, qui cretam, gypſum, humum, ſimiliaque abſorbentia, inſtinctu tantùm cognita, naturâ duce devorant. Morbi præſentia impulſu automatico (meliùs naturali) cogit corpus ad applicationem auxilii cæterùm ignoti; id obſervat attenta contemplatio fieri in hominibus pariter & in brutis, licèt ratio modum aſſequatur neutiquàm Boerhaav. inſt. 4. ex hoc fortuito experimento, vel ex appetitu ſpontaneo nata primùm medicina *naturalis* dicta, quam artifialis perfecit. *Vide* Schreiber. *Elem. medic.* 141. 162.

In morbis *ſitis* impulit omni tempore homines ad quærendos aqueos & acidos potus, quibus ſublevantur.

Calor ad aëris frigidi & refrigerantium uſum invitat. *Laſſitudinis* ſenſus cogit ad jacendum ; torporis ſenſus ad ſeſe jectigandum ; *dolor* ad ſitum quemlibet experiundum ; *pruritus* ad partem ſcalpendam ; *fames* ad edendum ; pica & malacia ad piper, haleces vorandos, cùm pituita obruit ventriculum, ſolis acribus levandum ad abſorbentia deglutienda, undè infantes humum pugillatim aſſumunt ; *pruritus* gingivarum in dentientibus infantes inducit ad mordendam papillam, digitos in os trudendos; pruritus narium ad nares digitis vellicandas ; patriæ revocatio noſtalgiam creat ; ſeminis acrimonia, nymphomaniam.

Natura fœtum maturum vel quovis modo importunum dato tempore iteratis conatibus, & utplurimùm mediis optimis & inter millenos unicis ſeu ſelectis excludit. Natura feces alvi mole, duritie noxias, optimis & ſelectis conatibus eliminat,

illa feces acres, aut propter ani ſenſibilitatem vellicantes omni ope atque operâ cum ſummâ cupiditate eliminat; his eliminatis ſummâ voluptate delinitur, licèt exhauſtis viribus. Ea ipſa urinam acrem in dyſuriâ per uretrham iteratis nixibus pellit; nec ipſi imputandum ſi conatus ſint quandòque fruſtranei, ut cùm calculus major adeſt, cùm nulla alia ſe liberandi via ſuppetat; hauſto veneno, vel in primis viis generato, natura ſenſu abominationis monita, illud uberi ſalivæ proventu diluit, dein repetitis & ſelectis conatibus ſeu nauſeis evomere nititur; vel ſi in inteſtina delapſum ſit, illud cato propulſat. Quid eſt febris niſi conatus cordis & vaſorum ad obices circulationi oppoſitos vel corrigendos vel eliminandos: laudamus febrim velut eximium medium ad abſolvendam morborum aliàs incurabilium, ſanationem; medicus naturæ gnarus, ejuſdemque imitator

impari

impari ad chronicos naturæ ſuccurrit, ſuſcitatâ febre per artem, quam ciere ipſa impos erat. Guttula aceti oculi membranam externam attingat, certè tenellam læderet, ſed fidelis cuſtodia limina ſervat, dolor vi convellit orbicularem palpebrarum muſculum, ille bulbum oculi ad glandulam lacrymiferam apprimit, exprimit laticem, cujus leni copiâ aceti acre temperat, & infractum tutò ejicit. Boerhaav. *ſerm.* 8. numquàm ſatis meditando.

Vix ullus eſt morbus in quo naturæ conamina, criſes, metaſtaſes cernere non liceat ſeriò attendenti; undè Hippocrates qui ob inconſtantiam loquendi morbos & cauſas noxias eodem nomine donabat, naturam eſſe morborum medicatricem pronunciavit; licèt verè loquendo naturæ conatus ſint ipſi morbi, ſeu ſymptomata ipſa, quibus noxiarum materierum correctionem vel eliminationem molitur.

Scio quidem alios naturæ nomine intellexiſſe Deum ipſum, alios vim fabricæ corporis, alios quamdam ſemideïtatem, vel animam mundi, nec multùm referre in praxi utram ſequamur ſententiam: verùm mechanices, & pſychologiæ peritus facilè deſcendet in Riverii, Dulaurentii & aliorum medicinæ antiſtitum ſententiam, ex quâ natura inter animæ facultates annumeratur.

Pathemata ſunt conatus naturæ ad bona vel animi vel fortunæ capeſſenda; mala verò removenda cum ingenti ſimul horum bonorum cupiditate, & malorum averſatione ſenſitivâ. Motiva pathematum ſunt itaque perceptio confuſa boni moralis, quo caremus, vel mali moralis, quo laboramus: ſic ærumna, jactura, injuria, pathemata concitant.

Quoniam verò bona vel mala ſenſibus ſeu inſtinctu tantùm talia cenſentur, non raro accidit, ut, quæ, inſtinctu duce, bona ſunt,

ntellectui mala videantur, & vice versâ, hinc accidit ſæpiſſimè, ut nobiſmetipſis diſſideamus, & aliud cupiditas jubeat, aliud verò voluntas; undè qui naturam ducem tantùm ſequuntur, ſæpè vident meliora, probantque, deteriora ſequuntur; hinc pugna carnis ſeu cupiditatis, & ſpiritûs ſeu rationis, quam teſtantur ſacri codices. Hinc Philoſophorum præcepta ut pathematum, & naturæ impetus ratione moderemur; hinc apud Juriſperitos & Theologos imputantur actiones non rationis impotibus, ut infantibus, deliris, &c. ſed rationis compotibus ſeu qui libertate gaudent, & non ſoli naturæ ſerviunt. Actiones autem cenſentur rectæ, quatenùs naturæ & rationi ſimul conſentiunt; vitioſæ verò, cùm naturæ quidem, ſed non ſimul rationi congruunt, ſi fuerint deliberatæ; illi itaque à vero aberrant, & religionem offendunt qui actiones omnes hominis à determi-

nato corporis ſtatu determinatas eſſe putant, ſeu qui contendunt corporis ſtatum determinatum ab eodem animæ ſtatu individuè ſtipari; cùm indè ſequeretur animi pathemata, quæ à certo ſtatu corporis pendet, non poſſe comprimi, & à ratione ſuperari; quod de brutis verum eſt, de homine libero falſiſſimum.

Pathemata animi morborum ſunt principia frequentiſſima in divitibus, mulieribus, ſtudioſis, civium incolis, ut perbellè obſervat Baglivius *cap.* 14. *de modendis animi morbis.* Quamobrem cautos velim eſſe medicos in ægris interpellandis præſertim de animi paſſionibus, ne abſque ullo facto examine ſingulorum morborum originem à repletionis & cacochymiæ fabulâ deducant.

Licèt obſcuriſſimus adhuc ſit modus quo motus animi corporis functiones proturbant, atque Medicorum parùm interſit hunc modum callere; intereà certum eſt in micro-

coſmo, quem ens ſapientiſſimum condidit, nihil fieri fortuitò, nihil ſine motivo vel ratione ſufficienti; quod non advertunt illi qui motuum patheticorum finem nullum eſſe contendunt, & eos tamquàm inconcinnos, abſurdoſque, neſcio cujus cœcæ ſympathiæ effectus conſiderant, & ex falſis mechanicæ, ut aïunt, legibus explicant. Nulla machina quidquam agit ſine motore, hæc eſt prima mechanicæ lex. Motor autem animatus ſeu ſentiens eſt in homine; qui inſtrumenta qualia ſunt, adhibet modo ſæpè convenientiſſimo ad bona capeſſenda & mala removenda. Infans in tenebris derelictus & phantaſmatum præconceptâ opinione territus gemit, plorat, ejulat; quorsùm illæ lacrymæ, illi clamores, illæ faciei diſtortiones, ut ſcilicèt hâc loquelâ, quæ ſola ipſi conceſſa eſt, moneatur, advocetur in auxilium mater. Adultus hoſte laceſſitus, viriumque

ſuarum compos iraſcitur, frendet dentibus, pugnos contrahit, ipſi rubent & ſcintillant oculi, cor vehementiùs pulſat, muſculi contrahuntur, fervet corpus. Sic anima vindictæ cupida omnia pugnæ organa parat & componit, vires explicat omnes ad hoſtem vel terrefaciendum, vel debellandum; eo fine cor vehementiùs ſanguinem impellit ad muſculos, fluidum nerveum in eos vibratur. Sic debilis aſtantium auxilium invocat pallore, tremore, fletu; fortis hoſtibus terrorem incutit minis, & uterque ſuæ incolumitati conſulit. Qui ſubtilitates mechanicas excogitant, ubi morales tantùm rationes ſuppetunt, quas ſpernunt, illi ſe in mechanicis rudes oſtendunt. Equum calcare confoſſum velociùs procedere putant Cartheſiani ob impreſſionem calcaris mechanicam; illi ipſi explicent mechanicè cur in tenebris derelictus infans ejulet; & cur

ſuperbus à ſalutationis omiſſione iraſcatur, ſicque motum ſine motore invenerit; ſed revertamur ad rem medicam.

Pathemata non ſolùm à ſenſatione, ſed etiam & potiſſimùm ab imaginatione originem ducunt, undè imaginationi tribuuntur: videatur liber Fieni de viribus imaginationis. Mœror producit diarrhæas, febrem erraticam, atrophiam; terror qualis in obſidione urbium, terræ motibus, inducit febres malignas, abortus, diarrhæam, epilepſiam.

Amor chloroſim, agrypniam, anorexiam, tabem, noſtalgiam, picam excitat, pulſum turbat.

Odium, deliria, cephalalgias, agrypniam.

Lætitia perſeverans per multos dies ſomnum impedit, & vires diſſolvit. Sanctorius. Moderata aperit meatus, largam perſpirationem facit.

Timentes & mœrentes obſtructionem, partium duritiem & affectus hypochondriacos patiuntur, magis nocet nimius animi affectus, quàm nimius corporis motus.

In omni morbo ferè datur vel mœſtitia, vel ſpes; vel metus, vel convaleſcenti lætitìa; vel aliud animi pathema; ita ut in eo tantùm diſcrepat pathema à morbo, quòd illud bona externa, iſtud interna reſpiciat.

NOSOLOGIA

PATHOLOGIÆ,

Seu de Cognoſcendis ægritudinum Symptomatis & Differentiis.

68 UT in hiſtoriâ naturali, *plantæ* nomen genericum & *Herbæ* & *Arbori* convenit, atque ab utroque aliquatenùs diſcrepat; ita in pathologiâ, *ægritudo* genus eſt ſupremum, quod dividitur *in affectum*,

fectum, ſeu vitium evidens, qualè eſt vulnus, tumor, lentigo, phlegmone, & *in morbum*, qualis eſt pleuritis, apoplexia, tympanitis, aurigo, dyſenteria.

69. Non ſecùs autem ac Zoologia & Botanica, non ſolùm ex intimâ partium latentium ſtructurâ, & anatomiâ, ac cauſarum vegetationis, nutritionis, &c. indagatione, addiſcitur: ſed neceſſarium multò magis eſt, & animalium characteres evidentes, & plantarum partes externas, genera, ſpecieſque, à phœnomenis addiſcere: ita in pathologiâ, non tam ex intimâ partium ſtructurâ, & cauſarum latentium indagatione, quàm ex phœnomenis, ſeu ſymptomatis affectuum & morborum ſcientia comparatur.

70. Cùm autem, in tantâ morborum multitudine, recta diſcendi & docendi methodus, ſit unica mater ſcientiæ; eam accuratiſſimam &

lucidiſſimam eligere operæ pretium eſt; talem autem eam ſolam cenſemus, quæ à Botanicis, Zoologis & Mineralogis adhibita, ſummam iis ſcientiis lucem affudit juxtà hanc methodum: morbi omnes, ſymptomatis ſuis affines, in certos, diſtinctoſque ordines ſeu claſſes, numero paucas, *charactere* evidenti inſignitas ab invicem primo intuitu diſcrepantes, diſtribuuntur. Cuilibet claſſi ac ordini ſua adſcribuntur morborum *genera* ſimilibus *notis* evidentibus genericis ſtipata; & cuique generi, ſuæ *ſpecies*, epitheto *nomine ſpecifico* inſcriptæ annumerantur.

71. Genus eſt convenientia quædam ſeu affinitas, & ſimilitudo certorum morborum ad ſpeciem diverſorum, qui in ſymptomatum eſſentialium concurſu, numero, ſemper, in cauſis & ſede non rarò conveniunt. Aliud eſt genus *ſummum*, ſeu *claſſis*; aliud *ſubalternum*, ſeu *genus*

propriè dictum. Sic in plantis *chamædris* genus eſt, reſpectu plurium ſpecierum ut mari, ſcordii. In Zoologiâ *canis* genus eſt, reſpectu lupi, vulpis, &c.

72. Characteres generum ſunt notæ illæ, quibus ſinguli morbi, ad diverſa genera pertinentes, à ſe invicem diſtingui facillimè, & ad ſuum genus reduci poſſunt. Illi characteres ſunt totius pathologiæ veræ fundamentum ſi rectè ſtabiliti fuerint. Dictat autem ratio quod illi characteres debeant eſſe 1°. Conſtantes in quantum fieri poteſt. 2°. Evidentes, ut primo intuitu aut levi examine ſymptomatum, in ſtatu morbi apparentium, dignoſci poſſint. In has regulas peccant omnes adhuc adhibiti characteres, qui ex *cauſis*, *ſede*, *ſubjectis*, *nomine*, *duratione* morbi deſumuntur. Non ſecus ac in Botanicis pravæ fuerunt omnes methodi ad cognoſcendas plantas adhibitæ, quarum characte-

res generici deſumebantur. 1°. Ex ſtructurâ intimâ plantarum quæ non niſi microſcopiis detegi, aut potiùs conjectari poteſt. 2°. Ex loco, ubi talis naſcitur planta, cum eadem ſpecies in montibus æque ac in vallibus naſcatur. 3°. Ex ſubjectis ſeu ex regionibus; ſic quas Bauhinus noſtrates aut Germanicas notavit plantas, Galli, Hiſpani, Itali, pariter apud ſe reperiunt. 4°. Ex nomine, cùm quæſitum pro cognito ſupponatur, & varient pro regionibus nomina. 5°. Duratione, cum eadem ſpecies citiùs vel tardiùs intereat, & à priori vix noſci poſſit duratio. Unica itaque ea bona eſt methodus quæ ex charactere conſtanti & evidenti deſumitur, ut in Botanicis à floris, fructûs, foliorum formâ; in piſcibus, à pinnarum dorſalium numero; in morbis denique, à ſymptomatis ſeu phœnomenis in ſenſus incurrentibus.

73. Cauſarum inquiſitionem non

contemnimus, ſedem morborum detegere pariter avemus; verùm ex iis ſigna generalia, notaſque morborum characteriſticas deduci poſſe, hoc eſt quod præfractè negamus. In praxi, ad quam noſtros conatus dirigi ſemper opus eſt, quid primò perſpicimus? Symptomatum concurſus varios, multiplices, pro vario morbi ſtadio diverſos, in quolibet tamen morbo, certâ ſerie, certo ordine concatenatos; partem verò, cui vulgò tribuitur morbus, hujus ſedem raro, principium procatarcticum, & proegumenum rariùs cauſam numquàm videmus. Illæ ſunt detegendæ in pluribus morbis, contra quos non detecta ſunt remedia ſpecifica; verum prius eſt. 1°. Nomen morbi ſcire. 2°. Hujus ſpeciem. 3°. Hujus hiſtoriam prævidere. 4°. Hujus denique cauſam ex phœnomenis cognitis, hariolando ſæpè determinamus. In phyſicis, ait Newtonus, ſemper ab analyſi ad

ſyntheſim, ab effectibus obſervatione cognitis, ad cauſas progrediendum eſt; demum à certis, & evidentibus ad dubia & ignota deveniendum.

74. Talem methodum præſenſerat Illuſtr. Felix Platerus Baſileenſis; tamquàm abſolutè neceſſariam pronuntiaverat ille Medicorum princeps Sydenhamus, omni major elogio; laudaverat Baglivus; ſecutus eſt Mortonus, Muſgravius; auxit Gorterus; commendavit Nenterus; aliique viri egregii feliciter adhibuerunt in generum quorumdam Hiſtoriis.

75. Ut generum inſtitutio utilis eſſe queat, ea numero pauca & benè nominata ſint oportet. In hoc peccavit illuſtriſſ. Ichtyologiæ reſtaurator Rondeletius, quòd tot nomina generica fecerit, quot ſpecies piſcium adinvenit, quæ tamen paucis generibus includi poſſunt; quorsùm memoriam tot nominibus

aggravare ? In altero peccant & hiſtoriæ morborum ſcriptores, quòd vel non omnes morborum ſpecies memorent, vel nomina barbara, æquivoca, malè indita, retineant; circa quod regulæ ab illuſtriſſ. Linnæo Archiatro Regio Medi &c. Botanices profeſſore in *Critica Botanicâ* ſunt traditæ.

76. Species in pathologiâ appellatur, relativè ad genus ſuum, morbus unuſquiſque, qui à reliquis ſui generis, quibuſcum per ſigna generalia congruit, ratione phœnomenorum quorumdam, aut principiorum evidentium diſcrepat; vel ſpecies eſt convenientia morborum individuorum, vel eorum ſimilitudo & pluralitas quæ ſub ſe nihil præter individuos morbos aut varietates continet. Confusè itaque loquuntur illi qui genus ab ſpecie non diſtingunt. Genus enim eſt ſimilitudo ſpecierum, adeòque ſub ſe plures ſpecies continet, vel continere po-

teſt. Sic pleuritis genus eſt morbi, quia ſub ſe continet plures ſpecies, ut pleuritidem dorſalem *Hippocratis*, pleuritidem pericardii *Avenzoar*, pleuritidem verminoſam *Quercetani*, &c. Sic diarrhæa non eſt ſpecies, ſed genus morbi; quia obſervantur plures ejus ſpecies, ut diarrhæa bilioſa; diarrhæa ſeroſa, &c.

77. Sic in plantis *vitis* genus eſt, cujus ſpecies ſunt *vitis vinifera*, *vitis aceris fol. vitis canadenſis quinquefolia*, *&c.* Quis autem vinitoris nomen ſuſtinebit, qui has in vineto ſpecies non diſtinxerit, qui aliam pro aliâ ſumpſerit, qui vitis genus noſſe tantùm ſatagens, ejus quaſque ſpecies ignorare glorietur, ut ſpecies morborum neſcire ſe glorientur plures Medici, qui tamen èatenùs practici percelebres evadunt, ſi Mortono dejeranti credimus, quatenùs ſummâ judicii energiâ & longâ experientiâ edocti, tacitam ſpecierum diſtinctionem ſibi forma-

runt, ut vinitores longo uſu ſpecies diverſas vitis addiſcunt, quas multò citiùs & nitidiùs ex methodo cognoſcit Botanicus.

78. Quàm parùm autem ad hiſtoriam cujuſque generis morbi cognoſcendam conferant vulgares quæ inſtituuntur *differentiæ* exemplo ex Botanicâ petito judicemus; vitis v. g. qui differentias tantùm noverit, ſpecies numquàm cognoſcet: differentiæ vitis aliæ ſunt fructu nigro, aliæ fructu albo, aliæ foliis aceris, aliæ quinquefidis, aliæ arboreſcentes, aliæ humiles, &c. & ſic in infinitum. Morbi differentia, ait Argenterius, morbus non eſt, ſpecies verò morbus eſt; præſtat ergo ſpecies noſſe, quàm differentias.

79. Symptoma, ſeu phœnomenum morboſum (11.) definitum, trifariam à veteribus diviſum, rectiùs quadruplicis generis ſtatuendum videtur. Scilicèt in *functionibus corpo-*

reis, in *animæ functionibus*, in *excretionibus*, ac demum in *qualitatibus*.

80. Functiones ſunt motus aut ſitus evidentes partium ſolidarum, quæ læſæ dicuntur, ſi hi motus peccent ordine, vi nimiâ, numero. Ut motus arteriarum in febribus, in morbis inflammatoriis; ut motus artuum fortior eſt in ſpaſmodicis; debilior aut abolitus in paralyticis, ſyncopticis, ſoporoſiſque morbis. Functiones animæ in ægris ex eorum loquelâ, geſtubus, motibus, contorſionibus, læſæ cognoſcuntur, ut in dolorificis, deliris, imaginariis morbis. Excretiones, quæ functiones ſunt naturales, læduntur, ſi peccent quantitate, colore, duratione, &c. ut in hæmorrhagiis, diarrhæis, &c. Demum qualitates vitiatæ ſunt, ſi ſuperficies corporis aſperitate, tuberibus, macie, deturpetur; ſi colore pravo inficiatur, ut in chloroſi, &c.

81. Symptomata dividuntur rurſùs in *eſſentialia* & *accidentalia*. *Eſſentialia* aut pathognomonica ea ſunt, à quorum concurſu, utpotè conſtanti, denominatur aut determinatur vel genus, vel ſpecies morbi. *Sic tuſſis, febris acuta, dolor pectoris pungitivus, dyſpnæa*, ſunt pleuritidis genericæ ſymptomata eſſentialia; *tuſſis ſingultuoſa, dolor dorſi pungitivus, febris acuta, dyſpnæa, ſitus pectoris ad poſteriora reverſus*, ſunt eſſentialia *pleuritidis dorſalis* Hipp. ſymptomata; undè dividi poſſunt in eſſentialia *generica* & in eſſentialia *ſpecifica*.

82. *Accidentalia* ſymptomata ea ſunt, quæ poſſunt abeſſe vel adeſſe ſinè generis aut ſpeciei mutatione, ut *ſyncope*, *alvi fluxus*, *vomitus fugax* in pleuritide, quæ non à cauſa integri morbi, ſed ab ægrotantis vel curantis errore accidentali dependent.

83. Alia *ſymptomata* ſunt *aſſidua* toto ferè decurſu morbi, ut febris

in pleuritide, debilitas in varioſis: alia *epigenomena*, quæ ſuo tempore, in variâ ætate morbi accidunt, ac recedunt, ut puſtulæ in variolis, quæ tertiâ, vel quartâ morbi die accidunt, ſeptimâ evaneſcunt, aut in ulcuſcula abeunt, &c.

84. *Morbus*, *Noſos*, *Arroſtia*, ut veteres methodici aïebant, & omnes practici intelligunt, eſt ex defin. (9. 10.) allatâ, *ſymptomatum intenſione, extenſione aut duratione notabilium* ſyndrome ſeu concurſus. *

Vitium & affectus à morbo differt, ut lentigo lutea ab aurigine; de affectibus fusè egimus in aitiologia. De morbis ſupereſt agendum.

1. Morbus quilibet eſt effectus duplicis cauſæ, ſcilicèt primò materiæ morbificæ aut cauſæ proegumenæ qualis eſt v.g. ſanguis exſuperans in morbis à plethorâ, vermes in morbis verminoſis, &c.

* Le Clerc, *Hiſt. medic.* Proſp. Alp. *de medicin. methodicâ.*

Secundò vis vitalis ſeu naturæ quæ conatus edit varios : undè ſymptomata duplicis generis alia *morboſa* quæ quadruplici ſigno dignoſci debent. 1°. Oriuntur à vi morbificæ cauſæ vitalem vim ſuperante. 2°. Fiunt ineunte, creſcente, vigente morbo. 3°. Omni morbi tempore maximè in augmento. 4°. Citò nocent.

2. Alia *critica* quæ 1°. oriuntur à vi vitæ ſuperante vim cauſæ morbificæ. 2°. Fiunt maximè ſenſibilia prægreſsâ coctione materiæ ſuis ſignis manifeſtâ. 3°. Circa tempus criſi proprium. 4°. Citò levant. Hinc videtur quòd morbus præſertim acutus à causâ internâ ortus, ſit Naturæ lucta, ut aïebant Veteres, cum causâ morbificâ; cujus luctæ judex eſt Medicus, & ultima naturæ vel triumphantis vel dejectæ conamina, criſim ſeu judicium determinant, ac critica vocantur, quæ ſemper ex ſe ſunt ſalubria, eventu tamen ſæpè funeſta.

3. Morbus varia ætatis ſtadia percurrit, & non ſecùs ac planta tria vel quatuor vitæ habet diverſa tempora, *initium* ſcilicèt, *augmentum*, vigorem ſeu *acmen* & *declinationem*. Ex variâ velocitate quâ ab initio ad acmen ſuum devenit, vocatur *ſubitaneus* vel *tardigradus*; ſic apoplexia ſyncope ſunt morbi ſubitanei, quia minimum eſt ſpatium ab initio ad vigorem; variola verò non ſubitaneus dicitur morbus, quia ab exortu ad incrementum, & indè ad vigorem ſenſibilis eſt diſtantia.

4. In continuis morbis ſemel hæc ſingula ſtadia obſervantur; aſt in periodicis, ut intermittente febre, quoties acceſſus redeunt, ita tamen ut ſint totius ambitûs morbi ſtadia *generalia*, & cujuſvis acceſsûs ſtadia *particularia*.

5. Status morbi in quo materia morbifica facit vel auget morbum, vocatur *cruditas*, cognoſcenda 1°. Ex vigore morbi durante vel increſ-

cente. 2°. Ex ſymptomatum accidentalium augmento. 3°. Ab exercitio functionum adhuc valdè læſo. 4°. Maximè ex receſſu qualitatum, & excretionum à ſtatu ſano conſueto.

6. Status verò morbi in quo materia priùs cruda, vel per actiones vitæ, vel ſpontè ut motu ſuo inteſtino, vel per apta medicamina, ita mutatur, ut minùs lædat, coctio ſeu *pepaſmos* vocatur: & cognoſcitur 1°. ex quiete aut decremento morbi, viribus vitæ ſtantibus vel creſcentibus. 2°. A ſedatione ſymptomatum accidentalium, concomitante vitæ robore. 3°. Functionum redintegratione. 4°. Ex harum & excretionum ac qualitatum ſimilitudine cum ſanis. Boerhaav. *Semeiot.*

85. *Morbi* alii ſunt *nominati*, alii *anonymi*, aïebant Methodici, ſic ſyndrome *tuſſis, & ſputationis cruentæ*, vocatur *hæmoptyſis*; ſyndrome *tuſſis*,

ſputationis cruentæ, *febris acutæ continuæ*, *doloris pectoris gravativi* cum *dyſpnæâ*, *peripneumonia* nuncupatur.

86. Verùm *tuſſis*, *ſputationis cruentæ*, & *febris intermittentis non inflammatoriæ* concurſus, nomen genericum à Veteribus non obtinuit, quia rarior eſt, aut ad cognita genera poteſt reduci. Ergo eâ lege definienda ſunt morborum genera & nec ſtricta nec laxa nimis ſit definitio. Stricta ſatis eſt, ſi ab aliis generibus diſtinguatur, eaque excludat; non nimis laxa eſt, ſi omnes ſpecies vel noſtrates vel exoticas deinceps detegendas poſſit admittere.

87. In definitione morbi cujuſque ſymptomata tantùm characteriſtica, non verò claſſica, nec fugacia referenda ſunt. Sic in colicâ licèt ſit difficultas reſpirandi, ab eâ non definietur morbus, &c. Et licèt unico ſæpè definiatur ſymptomate, plura tamen tum aſſidua, ut *debilitatem*

debilitatem, dyſpnæam, mærorem, &c. tum epigenomena, ut *vomitum*, *trunci inflexionem*, *vigilias*, *& in ſimpliciſſimo* morbo, ut *colicâ*, reperire licet.

88. Ratione numeri ſymptomatum pathognomonicorum, morbus alius eſt *ſimplex*, qui paucis ſtipatur, ut *colica*, quæ dolore inſignitur, & alius compoſitus qui pluribus ſymptomatis conſtat, ut *dyſenteria* quæ *dolore torminoſo*, *alvi fluxu*, *eoque cruento* conflatur. Sic *hæmoptyſis* (89.) ſimplex eſt, *peripneumonia* compoſitus eſt morbus.

NOSOLOGIÆ

SECTIO I.

De Differentiis morborum claſſicis & genericis.

89. UT ordine procedat & memoriæ inſculpatur generum ſenſus, illum non in quatuor claſſes ex ſymptomatum quadruplici fonte

(79. & 80.) inſtituemus; nam exindè confuſa nimis exſurgeret morborum idea; verùm octo claſſes circiter, ex certâ quorumdam ſymptomatum genericorum combinatione, petitas ſtabiliemus; eaſque ut ſuas Botanici, Zoologi, rei militaris Præfecti, claſſico nomine deſignabimus.

CLASSIS PRIMA.

Morbi febriles, febres vulgò.

90. CHaracter hujus claſſis, eſt virium vitalium gradus major, quàm qui à virium muſcularium gradu expectari deberet. Seu: conſiſtit in pulsûs frequentiâ, magnitudine, velocitate adauctis, cum alternato utplurimùm calore & frigore, dùm vires artuum, relativè ad vires arteriarum ſunt imminutæ. His adde quod nulla ſint notabilis & topicæ inflammationis ſigna.

91. Cauſa febrium eſt influxus fluidi nervei in nervos cardiacos adauctus, & in nervos artuum relativè imminutus; eo fine ut materia morbifica circulationi reſiſtens corrigatur, aut eliminetur. Cauſam caloris, & frigoris (ex n. 60. & 61.) repetemus. Febres omnes ſimplices, non inflammatoriæ triplici ſectione continentur, & ſunt 1°. vel continuæ, 2°. vel intermittentes, 3°. vel exacerbantes.

SECTIO I.

Febres continuæ, Græcis *Pyreta Synechonta*.

92. Harum character eſt, quod ægrotationis decurſus nec remiſſione ſingulari, nec intermiſſione, ſit interruptus; licèt remiſſiones generales in initio & in fine, adinſtar omnium morborum, pro ſtadiis ſuis obtineant. Quidam has *continentes* vocarunt.

Cauſa continuitatis, eſt indoles materiæ morbificæ, quæ celerem, continuam, non interpolatam correctionem, & eliminationem expoſtulat; putredinem, & in morâ periculum allatura. Genera continuarum ſunt

1°. *Ephemera*, (*Ephemere*) cujus duratio ſpontanea ſeptimanæ mediam partem emetitur.

2°. *Synocha*, (*Synoque*) quæ ſeptimanâ integrâ terminatur.

3°. *Synochus*, (*fiévre putride*) quæ ad ſecundam ac tertiam excurrit hebdomadem.

4°. *Hectica*, (*fiévre lente*) vulgò febris lenta, quæ ſeptimam etiam attingit.

SECTIO II.

Febres Intermittentes, *Pyreta Dialeipa* Hipp.

93. Harum character eſt quòd ægrotationis decurſus plenâ apyrexiâ

ſeu intermiſſione, identidem interpelletur. Harum genera ſunt

1°. *Quotidiana*, (*quotidienne*) cujus acceſſus ſimiles, ſingulis nycthemeris recurrunt.

2°. *Tertiana*, (*tierce*) cujus acceſſus homogenei alternis accedunt debus.

3°. *Quartana*, (*quartaine, quarte*) cujus acceſſus correſpondentes, quartâ quâvis luce, repetunt.

4°. *Erratica*, (*erratique*) cujus acceſſus alio quovis ordine revertuntur.

SECTIO III.

Febres exacerbantes, *Pyreta Epanadida* Hipp.

94. Harum character eſt ſingularis ſymptomatum recrudeſcentia, præter generalem, quæ incremento, & vigori morbi debetur, abſque plenâ apyrexiâ.

Genera ſunt

1°. *Amphymerina*, (*quotidienne conti-*

nuë) quæ continua quotidiana vocatur, cujus paroxyſmi ſimiles quâlibet die recurrunt.

2°. *Tritæus* , (*tierce continuë*) quæ tertiana continua eſt.

3°. *Tritæophya* , (*mal chaud*) quæ à tritæo diſcrepat calore urente , & ſiti inextinguibili , vulgò *cauſos* nuncupatur.

4°. *Hæmitritæus* , (*demi tierce.*) ſeu febris algida , diſtinguitur paroxyſmis ſuis quotidianis cum ſummo frigore , alternis diebus tantùm revertente.

5°. *Tetartophya* , (*quarte continuë*) eſt quartana continua.

Hæc antiqua nomina breviora ſunt , & convenientiora Neotericis , ex Arabum & Latino - Barbarorum ſcholâ derivatis. Bagliv. pr. 54.

CLASSIS SECUNDA.

Morbi Inflammatorii, Phlegmaſiæ Galeni.

95. HOrum character eſt febris acuta, aut continua, aut exacerbans, partis cujuſdam internæ dolor, calor, rubor, effloreſcentia, cum lymphæ, in patellâ, coagulatione. Hi omnes characteres generici bono animo ſunt accipiendi, & in illis adverbium hoc, *ut plurimùm*, ſemper ſubaudiendum.

96. Cauſa proxima eſt 1°. Cauſa Febris acutæ (91.) 2°. Cauſa tumoris calidi (41.) Principium, influxum fluidi nervei & attritum utplurimum determinans eſt obſtructio inflammatoria (56.) cum cauſis velocitatis (55.) & caloris (60) in ſanguine.

Claſſis hæc in tres ſectiones divi-

ditur, pro diverſitate partis affectæ, aut pro ſymptomatis variis.

SECTIO I.

Morbi Inflammatorii, viſcera membranacea afficientes.

97. Horum character eſt dolor acutus & ſatis conſtans in parte ſingulari. Ratione febris acutæ hi differunt à dolorificis. Genera ſunt

1°. *Phrenitis*, (*phréneſie*) ut plurimùm meningum inflammationi tribuenda, quæ præter febrem acutam ſynocham, dolore capitis atroci initio, dein delirio audaci, & anxietatibus inſignitur.

2°. *Paraphreneſis*, (*paraphréneſie*) quæ ſigna habet peripneumoniæ ſiccæ ſimul & phrenitidis, ac diaphragmatis inflammationi debetur.

3°. *Pleuritis*, (*pleureſie*) genus morbi inflammatorii febre acutâ continuâ ſynochâ, ut plurimùm, dyſpnæa, tuſſi moleſtâ & dolore pectoris

pectoris pungitivo, ſtipatum. Pleuræ ſubcoſtalis, aut pulmonaris, aut mediaſtinæ inflammationi tribuitur.

4°. *Gaſtritis* ſeu ventriculi inflammatio, febre amphimerinâ exiguâ, lypiriâ, epigaſtrii dolore, tenſione, ardore, ſiti demùm & vomituritione ſtipatur.

5°. *Enteritis*, inteſtini inflammatio, febre acutâ dolore circa umbilicum atroci, cum meteoriſmo, tenſione, calore, & vel vomitu vel diarrhæâ inſignitur.

6°. *Hyſteritis* ſeu uteri inflammatio, morbus eſt muliebris, febre acutâ, hyppogaſtrii tumore inflammatorio ſtipatus cum delirio & ſpaſmis utplurimùm.

7°. *Ciſtitis* veſicæ urinariæ inflammatio, tumore inflammatorio hyppogaſtrii, cùm dyſuriâ aut iſchuriâ dolorifica, & ſignis aliis claſſeos, denotatur. Hæc ultima quatuor nomina ab ill. Boerhaave his generibus indita fuere *Comm. in Aphor.*

quaré vetera libenter repudiamus.

SECTIO II.

Morbi Inflammatorii in viſceribus parenchymaticis.

98. Horum character eſt dolor gravativus, extenſus, minùs pungitivus, adde ſedis anatomicæ notitiam. Genera ſunt

1°. *Sphaceliſmus*, encephali inflammationi tribuendus, genus eſt morbi inflammatorii, febre acutâ continuâ, virium ſummâ proſtratione, delirioque perpetuo ſtipatum, cum abolitione ſensûs & motûs, præter carpologiam, ſeu tremulam manuum agitationem. Nomen à Bartholino & Etmullero inditum eſt.

2°. *Cynanche*, (*ſquinancie*) faucium inflammatio febre acutâ continuâ, cum tuſſi dolore & tumore calido faucium, ac reſpirandi, vel etiam deglutiendi difficultate.

3°. *Peripneumonia*, (*peripneu-*

monie) ſtipatur febre acutâ continuâ, difficultate reſpirandi, tuſſi, ſputo cruento, & dolore pectoris gravativo, à pulmonum inflammatione deducitur.

4°. *Hepatis*, (*hepatite*) jecinoris inflammatio, febre amphimerina, hippochondrii dextri tenſione inflammatoriâ, tuſſi ſiccâ, dyſpnæâ ſtipatur.

5°. *Splenitis* Plateri, lienis inflammatio, febre tetartophyâ, lienis tenſione, calore, dolore atroci hippochondrii ſiniſtri donatur.

6°. *Nephritis* renis inflammatio, febre acutâ continuâ, dolore fixo & urenti lumborum, dein urinæ varietate, teſtis in viris & cruris ſtupore, nauſeâ, ſingultu ſtipatur.

SECTIO III.

99. *Morbi inflammatorii exanthematici cutanei.*

1°. *Peſtis*, (*peſte*) eſt febris

acutiſſima, maligna, epidemica ut plurimùm, cum ardore, ſiti, vertigine, & deinceps bubonum vel anthracum eruptione.

2°. *Variola*, (*petite verole*) cognoſcitur ex febre acutâ, capitis, lumborumque dolore; tertiâ vel quartâ die puſtularum ciceris formâ eruptione; ſeptimâ, harum ſuppuratione, ac dein exſiccatione.

3°. *Rubeola*, (*rougeole*) vulgò morbilli, cognoſcitur ex febre exiguâ, cum tuſſi ſiccâ, ſternutatione in præludio, & oculorum madore; dein his ſuccedente macularum & tumorum pulicis morsûs æmulorum eruptione, qui tumores in ſquamas furfuraceas abeunt.

4°. *Bulloſa* febris eſt acuta exanthematica, bullis ſeu ampullis pellucidis avellanæ magnitudine, per corpus enaſcentibus, inſignita.

5°. *Miliaria*, (*le millot*) differt à rubeolâ, quòd puſtulæ milii magnitudine ſint ac firmæ, diverſicolo-

res, omni ætate accidant, & ſinè rubeolæ præludio.

6°. *Purpura*, (*le pourpre*) differt à rubeolâ, & aliis, quòd maculas tantùm pulicum morſibus ſimiles, ſed non extuberantes nec pruriginoſas, ſæpè lividas aut nigras, ſine rubeolæ præludio agat.

7°. *Eryſipelacea*, (*ériſipéle*) febris eſt initio acuta continua tumore eryſipelaceo faciei, aut alterius partis externæ ſtipata.

8°. *Scarlatina*, (*fiévre rouge*) maculis inæqualibus intensè rubris, morbillosas excedentibus, pruriginoſis, febre exiguâ, ſine rubeolæ præludio ſtipatur.

9°. *Aphta*, (*afte*) penphingodes Galeni, febris eſt quæ per caloris intenſionem puſtulas in ore, quæ Græcis Phlyctides dicuntur, generat. *lib. finit. med.*

10°. *Eſſera*, *porcelaine*, morbus eſt ſæpè febrilis, maculis glabris eryſipelaceis, pruriginoſis, amplis,

cum cutis intumeſcentiâ fugaci, intra duos, treſve dies evaneſcens & recurrens. An tertia eruptio eryſipelatoſa *Sydenhami*.

CLASSIS TERTIA.

Morbi ſpaſmodici, ſeu convulſiones.

100. HOrum character eſt partis cujuſdam, vel plurium ſimul muſcularis & conſtans vel interpolata contractio, motio, rigiditas à voluntatis arbitrio non pendens.

101. Cauſa eſt influxus copioſior aut frequentior fluidi nervei his muſculis contrahendis deſtinati, eo fine ut conatu ſpaſmodico materiæ morbificæ ſtimulantes, aut ſanguis ipſe ſpiſſior, corrigantur ac eliminentur. Tres ſectiones ſtabiliemus.

SECTIO I.

102. *Morbi tonici, ſeu conſtanti & rigidâ partis muſculoſæ contractione, aut & totius trunci corporis tenſione involuntariâ.*

1°. *Spaſmus*, (*ſpaſme*) eſt violenta, conſtans, ſubitaneaque partis diſtenſio. Huc priapiſmus, ſtrabiſmus, obſtipitas, &c.

2°. *Contractura*, (*contracture*) eſt partis ſenſim facta rigiditas.

3°. *Tetanus* eſt totius trunci & artuum ſæpè rigiditas convulſiva. Huc referantur opiſthotonos, emproſthotonos, &c.

4°. *Catochus* Galen. eſt totius corporis rigiditas, cum liberâ reſpiratione. Morbus cervinus ad hippiaticos attinet.

SECTIO II.

103. *Morbi Clonici tum convulſivo, tum tremulo, ſemper coacto & invo-*

-tario motu ſtipati, citra inflam-atoriam febrem, ac dyſpnæam notabilem aut conſtantem.

1°. *Convulſio*, (*mouvement convulſif*) ſt partis ſingularis violenta, involuntaria agitatio, non periodica, ſuperſtite cognitione.

2°. *Rigor*, (*friſſon*) eſt involuntaria, & ſenſu frigoris intercutanei ſtipata partium vibratio.

3°. *Eclampſia* Hippocr. Epilepſia puerilis, eſt partium convulſiva agitatio, periodica, acuta, cum ſenſuum feriatione.

4°. *Epilepſia*, (*haut mal*) eſt chronica, periodica & cum ſenſuum feriatione in paroxyſmis, partium ſenſibilis rigiditas, aut convulſio.

5°. *Hyſteria*, (*vapeurs*) ab epilepſia in eo diſcrepat, quòd raro aboleantur ſenſus in paroxyſmo, & ſemper hyſtericæ ſint de more ſuo anxiæ.

6°. *Hieranoſos* eſt continua, acuta, totius corporis, & ſingulorum artuum convulſiva motitatio, quolibet ſenſu ſuperſtite.

7°. *Tremor*, (*tremblement*) eſt unius vel alterius partis externæ involuntaria, ſinè frigoris ſenſu, per alternos itus ac reditus, motitatio. Hinc differt à rigore; à *Lunaticâ*, quæ tremor eſt univerſalis; à convulſione, quia pars tremens loco ferè non movetur.

8°. *Scelotyrbe* Galen. *Chorea*, *Viti*, eſt artuum unius lateris ut dextri, tremula, continua, ridicula motitatio.

9°. *Beriberii* Indicus eſt morbus tremore partium, genuum contractura, ſtupore & vocis raucedine ſtipatus.

10°. *Palpitatio*, (*la palpitation*) eſt partis internæ, ut cordis, diaphragmatis motus ſubſultorius.

SECTIO III.

Morbi Dyſpnoïci, anginoſi ab angore quem creant; ſpaſmodici, à motu pectoris involuntario, æſtimari poſſunt.

104. Excitantur à vi vitali ad removendos obices in viis & organis aëris poſitos.

1°. *Ephialtes*, (*cochemar*) eſt epilepſia nocturna, inſomnio moleſto & reſpirandi labore ſtipata.

2°. *Angina*, (*angine*) eſt morbus, laborioſâ, continuâ reſpiratione, cum faucium anguſtatione aut ſtrangulationis ſenſu, ſine febre inflammatoriâ, notatus.

3°. *Dyſpnæâ*, (*courte haleine*) eſt continuò laborioſa reſpiratio, ſine ſenſu anguſtiæ in faucibus.

4°. *Orthophnæa*, (*ſuffocation*) eſt ſubitanea, acuta & ſuffocatoria reſpiratio.

5°. *Aſthma*, (*aſthme*) eſt chronica,

periodica reſpirandi difficultas.

6°. *Pſeudo-Pleuritis* eſt reſpirandi difficultas, ſinè febre inflammatoria, cum dolore pectoris pungitivo.

7°. *Pſeudo-Pneumonia* differt à peripneumoniâ per febris abſentiam.

8°. *Tuſſis*, (*toux*) eſt periodica, ſonora & convulſiva expiratio ad pulmones detergendos.

9°. *Sternutatio*, (*éternuëment*) eſt ſonora, celer expiratio, lentæ inſpirationi ſuccedens, ad nares everrendas.

10°. *Singultus*, (*hoquet*) eſt celer, convulſiva inſpiratio, cujus ope quæ juxta cardiam moleſtant, in ventriculum repelluntur.

11°. *Oſcitatio*, (*bâillement*) *Kaſme* Hipp. eſt ſpaſmodica, tarda, ſenſim adaucta inſpiratio cum oris diductione, ſæpè brachiorum pandiculatione, ad accelerandum ſanguinis in pectore circuitum. Conatus ſpaſmodici evacuatione quâdam ſtipati, *nauſea*, *dyſuria*, *dyſtocia*,

teneſmus ad evacuatorios pertinere videntur.

CLASSIS QUARTA.

Morbi paralytodei, vel paralyſis.

105. HOrum character eſt ſensûs, motûs virium in corpore, vel in parte imminutio, reſolutio, vel proſtratio. Dividuntur in *ſyncopales*, *ſoporoſos*, & *paralyticos*.

SECTIO I.

Syncopales à Græco Syncopto *concido, ſunt morbi virium concidentiâ deſignati, abſentibus aliarum claſſium characteribus, ut febre, &c.*

106. Cauſa debilioris motûs in parte eſt reſiſtentia oppoſita fluido nerveo aut cruori accedenti, major quàm vis ipſum impellens.

1°. *Syncope*, (*ſyncope*) à debiliori cordis motu procedens, eſt

eſt ſubitaneus virium vitalium & muſcularium lapſus, pulſu, reſpiratione, ſenſu, calore admodùm imminutis.

2°. *Leipothymia*, (*défaillance*) * eſt ſubita non pulsûs, ſed ſensûs & motûs defectio cum mentis & cogitationis integritate. Mercurial.

3°. *Aſphixia* eſt ea virium integra proſtratio, omnis motûs & ſensûs abolitio, quæ mortis imaginem præfert.

4°. *Aſthenia*, (*langueur*) debilitas, eſt ſucceſſiva virium omnium imminutio.

SECTIO II.

Morbi ſoporoſi, ſunt in toto corpore ſenſûs ac motûs voluntarii abolitiones vel immunitiones, cum ſomni profundi & conſtantis ſpecie; & vitalium motuum exercitio.

107. Cauſa eſt quidquid in nervos corporis & organorum ſensûs, excepto corde & pectore, fluidi

* Paralyſis paradoxa *Eraſiſtr.*

nervei diſtributionem præpedit.

1°. *Apoplexia*, (*apoplexie*) morbus eſt ſubitâ omnium artuum reſolutione, ſenſuum omnium abolitione ſtipatus, calore, pulſu & reſpiratione ſtertorosâ inſignis.

2°. *Carus*, (*aſſoupiſſement*) eſt morbus ſoporoſus ab apoplexiâ diſcrepans ſomno minùs alto, & placidâ, tacitâ reſpiratione.

3°. *Cataphora*, (*ſubeth*) eſt ſomnus conſtans, qui interrogatione ægri excitatur, quòd in caroticis non fit.

4°. *Lethargus*, (*léthargie*) eſt ſomnolentia conſtans non alta cum febriculâ, & delirio oblivioſo.

5°. *Typhomania* eſt ſimulatus aut apparens ſopor, cum pervigilio reali.

6°. *Catalepſis*, (*catalepſie*) eſt ſensûs omnis motûſque voluntarii feriatio, cum mirâ artuum ad ſuſcipiendos & retinendos ſitus inditos aptitudine & flexilitate. Extaſis & catochus non ſunt hujus claſſis.

SECTIO III.

Morbi paralytici externi.

108. Illi ſunt in quibus artus unus vel plures, ſalvâ mente, ſenſu motuque, vel alterutro deſtituuntur, quin dolori aut convulſioni immobilitas artûs tribui poſſit.

1°. *Hemiplegia*, (*hemiplegie*) eſt medii corporis, ſecundùm latus alterutrum reſolutio, ſeu ſensûs motûſque ſumma imminutio.

2°. *Paraplegia* eſt medii corporis tranſverſim ſumpti, ut à thorace ad calces, reſolutio.

3°. *Paralyſis*, (*paralyſie*) eſt artûs unius tantùm reſolutio.

SECTIO IV.

Morbi paralytici in ſenſuum organis.

109. Cauſa eſt nervorum organi laxitas (32.) vel obſtructio (56.)

1°. *Cataracta*, (*cecité*) eſt visûs

totalis abolitio cum vitio oculorum ſenſibili.

2°. *Amaurosis*, (*Goutte - ſereine*) eſt visûs abolitio ſinè ſenſibili oculorum labe.

3°. *Amblyopia*, (*vuë trouble*) ſeu caligo eſt visûs obſcuritas, hebetudo, vel imminutio.

4°. *Cophoſis*, (*ſourdité*) eſt imminuta vel abolita auditûs ſenſatio.

5°. *Anoſmia*, (*perte d'odorat*) eſt odoratûs privatio, vel imminutio.

6°. *Aghcuſtia*, (*dégout*) eſt guſtûs abolitio, vel imminutio.

7°. *Anorexia*, (*inapétence*) eſt famis naturalis abolitio, vel imminutio.

8°. *Mutitas*, (*mutité*) eſt facultatis loquendi abolitio.

9°. *Adipſia* eſt ſenſationis ſitis abolitio.

10°. *Pſelliſmus* eſt loquela impedita vel depravata.

11°. *Athecnia*, (*impuiſſance*) Genitalium paralyſis eſt.

CLASSIS

CLASSIS QUINTA.

Morbi dolorifici, ſeu dolores.

110. HOrum character eſt dolor intenſitate, extenſione, aut duratione notabilis, ſine convulſione evidenti, febre inflammatoriâ aut notabili evacuatione.

111. *Cauſa* eſt fibrarum nervearum diſtractio, cum ſolutionis periculo ab animâ percepto. Dividuntur in vagos & topicos.

SECTIO I.

Morbi dolorifici vagi.

112. Illi ſunt qui varias partes aut plures ſimul indiſcriminatim occupant.

1°. *Arthritis*, (*Goutte*) eſt periodicus articulorum dolor.

2°. *Rheumatiſmus*, (*Rheumatiſme.*) eſt ambulatorius carnearum partium

ſeu muſculorum, iſque profundus & ſæpè periodicus dolor.

3°. *Catarrhus*, (*Catarrhe*) eſt partium collo vicinarum dolor, cum tuſſi aut coryzâ, rubore & levi intumeſcentiâ partis.

4°. *Pruritus*, (*prurit*) *Cneſmos*, Hipp. eſt ille dolor cutis, qui ſcalpendi neceſſitatem inducit.

5°. *Anxietas*, (*anxiété*) *Aliſmon* Hipp. eſt ingrata ſenſatio quæ ad jectigationem cogit.

6°. *Laſſitudo*, (*laſſitude*) *Copos*. Hipp. eſt ingrata ſenſatio quæ ad quieſcendum cogit, virium reparandarum gratiâ.

SECTIO II.

113. *Morbi dolorifici topici, fixi ſine febre inflammatoriâ.*

1°. *Cephalalgia*, (*mal de tête*) eſt gravativus, non tenſivus, capitis totius, aut anterioris dolor.

2°. *Cephalæa* eſt tenſivus, perio-

dicus & notabilis capitis dolor.

3°. *Hemicrania*, (*migraine*) eſt dolor capitis, ejus medietatem occupans, ut plurimùm ab uno latere.

4°. *Clavus* eſt dolor in parte potiſſimùm capitis, quæ extenſionem pollice non majorem obtinet.

5°. *Ophtalmia*, (*ophtalmie*) eſt oculorum dolor, ſæpiùs cum inflammatione externâ.

6°. *Odontalgia*, (*mal de dents*) eſt notabilis dentium dolor.

7°. *Cardialgia*, (*mal au cœur*) eſt ventriculi dolor ſyncopem minitans.

8°. *Soda*, (*cremaſon*) Græcis *Pyroſis*, eſt æſophagi & ventriculi dolor deurens.

9°. *Gaſtrica*, (*colique d'eſtomach*, eſt dolor ventriculi.

10°. *Colica*, (*colique*) eſt inteſtinorum dolor.

11°. *Iliaca*, (*miſerere*) eſt inteſtinorum tenuium dolor, cum alvo ſtrictâ, & vomitu frequenti ſæpè ſtercoreo.

12°. *Hepatica*, (*colique hépatique*) eſt dextri hippochondrii profundus dolor. *Hepatalgia* græcis.

13°. *Splenica*, (*douleur de rate*) eſt ſiniſtri hippochondrii conſtans dolor.

14°. *Hyſteralgia*, (*mal de mere*) eſt uteri dolor. Nomen indidit Montaltus.

15°. *Nephritica*, (*néphrétique*) eſt renis dolor; *nephralgia* Zuingeri *diſſert.*

16°. *Lumbago*, (*courbature*) eſt lumborum dolor cum trunci erigendi difficultate.

17°. *Pudendagra* eſt genitalium partium dolor.

18°. *Proctalgia* eſt podicis dolor.

19°. *Iſchias*, (*ſciatique*) eſt coxendicis dolor.

20°. *Gonagra* eſt genuum ac vicinarum partium dolor, an huc *paracynanche* quæ deglutiendi difficultas eſt,

CLASSIS SEXTA.

Morbi paraphronici, ſeu inſaniæ.

114. SIc dicti antiquitùs à *paraphronia*, mentis alienatione, ſunt illi qui notabili functionum animi depravatione ſtipantur. De ſenſuum imminutione *vide* Paralytodeos. De ſenſationis exceſſu *vide* Claſſ. II. & V.

115. Cauſa materialis eſt, vel in cerebro, vel in organis ſenſuum, eſtque vitioſa, inſueta, anomala fibrarum nervearum diſpoſitio, cui potiùs quàm objectorum externorum impreſſioni, ideæ, judicia & appetitus reſpondent.

SECTIO I.

Morbi deliri. Melancholici, ſeu in judicio, ratione & cogitatione depravatis, exceptâ Agrypniâ.

116. 1° *Amentia*, (*démence*) *Paranoia* Hipp. eſt univerſale, mite, chronicum ſine febre delirium.

2°. *Mania*, (*folie*) eſt furibundum ſæpè, & univerſale ac periodicum non raro delirium, febris acutæ expers.

3°. *Melancholia*, (*mélancholie, folie*) eſt chronicum, ſinè febre, meditabundum, paucis objectis affixum, delirium.

4°. *Dæmonomania* eſt particulare, ſed ferox, quale ſagarum, fanaticorum, veneficorum, Wampirorum, delirium.

5°. *Paraphroſine*, (*tranſport, délire*) delirium Latinis, eſt alienatio mentis, acuta, tranſitoria, ſæpè febrilis. *Phrenitis*, *Paraphreneſis*, *Lethargus*, *Typhomania*, ſuo loco videantur.

6°. *Agrypnia*, (*inſomnie*) eſt pervigilium immodicum. *Delirium eſt exortus idearum in vigilantibus, non reſpondens objectis externis, ſed internæ cerebri diſpoſitioni.*

SECTIO II.

Morbi Imaginarii, ſeu in depravatâ imaginatione, quomodò à deliris diſcrepent, vix exprimi poteſt.

117. Cauſa eſt exortus idearum à vitiatâ organorum externorum non verò cerebri diſpoſitione, ſinè pertinaci voluntate indè ſequente. His tamen addemus moroſim & oblivionem.

1°. *Oblivio*, (*oubly*) eſt imaginationis iteratæ, ſeu memoriæ imminutio.

2°. *Moroſis*, (*ſtupidité*) Mercurial. eſt perceptionis & ingenii hebetudo, tarditas, citra ſoporem ac delirium.

3°. *Vertigo*, (*vertige*) eſt circumgyrationis objectorum, aut ſuî ipſius, imaginatio.

4°. *Suffuſio*, Frid. Hofman. *Marmaryges*, eſt imaginatio, quâ ægri muſcas, ſcintillas, araneas ſibi fingunt in aëre volitantes.

5°. *Syrigmos*, (*tintoüin*) Hipp. ſeu Tinnitus aurium, eſt ſonorum, qui in æthere non ſunt, aut aliter ſunt, imaginatio.

6°. *Somnambuliſmus* eſt inſomnium ſeu imaginatio vivida, ratione cujus dormiens, exſurgit, & ſe & aſtantes variis exponit periculis.

7°. *Panophobia*, pavor nocturnus, eſt tumultuoſa corporis agitatio, ex inſomnio aut imaginatione objecti terrorem incutientis.

8°. *Hyppochondriaſis*, (*paſſion hypochondriaque*) melancholia hippochondriaca, morbus eſt chronicus, quo affectus, ſe in mortis periculo verſari, ex cordis palpitatione, ructu, borborygmis, aut aliis levidenſibus malis, imaginatur.

SECTIO III.

Morbi in voluntate *vel* cupididate *depravatis.*

119. Voluntas intellectu ſeu ratione

tione ducitur, cupiditas inſtinctu ſolo, adeoque ſenſu & imaginatione regitur. Reclinatio animæ à malo dicitur noluntas, *Wolf.* ſi rationalis ſit, & averſatio, ſi tantùm ſenſitiva.

1°. *Noſtalgia*, (*maladie du pays, hemvé*) eſt parentum aut patriæ veſanum deſiderium.

2°. *Erotomania*, (*l'amour inſenſé*) eſt veſanum, ſed pudicum amantium deſiderium.

3°. *Satyriaſis* eſt effræne, impudens, cum penis gratâ tentigine veneris deſiderium.

4°. *Nymphomania*, (*fureur utérine*) ſeu furor uterinus, eſt mulieribus, quod ſatyriaſis. *Maltachiſmus* Cœl. Aurel. ad infames animi paſſiones, non ad morbos pertinet.

5°. *Rabies*, (*rage*) eſt depravatum, vim ſibi aut aliis inferendi, mordendi, lacerandi deſiderium, cum hydrophobiâ ut plurimùm.

6°. *Pica* eſt cupiditas quædam abſurda vel noxia, aut obtentu diſ-

ficillima, aſſumendi, olfaciendi, ut cupiditas vorandi ſalis, gypſi, aceti, fructûs non obvii, &c. *Malacia* eſt picæ varietas, gravidis propria.

7°. *Boulimia*, (*faim canine*) eſt alimentorum vulgarium inexplebilis appetitus.

8°. *Polydipſia*, (*ſoif*) eſt inexplebilis ſitis, ſeu potulentorum appetitus.

9°. *Hydrophobia*, (*hydrophobie*) eſt potulentorum omnium averſatio.

10°. *Cacoſitia*, (*dégout des alimens*) ſeu cibi faſtidium, eſt alimentorum eſculentorum horror.

11°. *Antipathia*, (*antipathie*) eſt quorumdam viſûs aut odoratûs objectorum irrationalis averſatio. Morbis hanc accenſet Zwingerus.

12°. *Tarantiſmus* eſt ſaltandi & choræas agendi deſiderium à tarantulæ ac ſcorpionis Appuli morſu oriundum.

119. *Hyſteria*, *Chloroſis*, *Dyſuria*, *Diſtocia*, *Teneſmus*, &c. ſymptoma-

ta in ſpeciebus quibuſdam eſſentialia, ex hâc claſſe mutuantur.

CLASSIS SEPTIMA.

Morbi Evacuatorii, ſeu fluxus.

120. CHaracter eorum eſt, quantitate, qualitate, deſuetudine, notabilis contentorum ejectio, vel evacuatio. Horum cauſæ (ex 47.) repetantur. Excludantur evacuationes ex aliis claſſibus petitæ & vix ſenſibiles.

SECTIO I.

121. *Morbi Hæmorrhoïci.*

1°. *Hæmoptyſis*, (*crachement de ſang*) eſt ſanguinis tuſſiculoſa, ſine inflammatoriâ febre expectoratio.

2°. *Stomacace* Plin. eſt gingivarum frequens & ſpontanea cruentatio.

3°. *Hæmatemeſis*, (*vomiſſement de*

ſang) vomitus cruentus eſt cruentatæ materiei, cum vomitorio conamine facta per os rejectio.

4°. *Dyſenteria*, (*dyſſenterie*) eſt alvi fluxûs tenemodis, torminum & dejectionis cruentatæ, concurſus.

5°. *Hepatirhæa*, (*flux hépatique*) fluxus hepaticus eſt dejectio frequens, indolens, rubellæ materiei ſine teneſmo ac torminibus.

6°. *Hæmorrhois*, (*flux hémorrhoïde*) Galen. eſt cruoris vividi dejectio, abſque tenuium inteſtinorum torminibus.

7°. *Menorrhagia*, (*perte de ſang*) eſt immodicus tum continuitate, tum frequentiâ menſtrui ſanguinis in mulieribus effluxus.

8°. *Dyſmenorhæa* eſt menſtruatio difficilis, ſeu dolorificum menſtrui ſanguinis ſtillicidium.

9°. *Hæmaturia*, (*piſſement de ſang*) eſt mictio cruenta.

10°. *Hæmatidos*, (*ſueur de ſang*) ſudor ſanguineus, eſt rubri fluidi per cutis poros effluxus.

11°. *Hæmorrhagia*, (*hémorrhagie*) eſt per alias, quàm priùs aſſignatas, vias, ſanguinis effuſio.

Sectio II.

122. *Morbi evacuatorii lymphatici, nec rubri, nec feculenti.*

1°. *Epiphora*, (*larmoyement*) eſt involuntarius ſeri vel puris ex oculis fluxus.

2°. *Ptyaliſmus*, (*ſalivation*) eſt notabilis ſalivæ, muci, &c. ex ore effluxus.

3°. *Coryza*, (*Rhume du cerveau*, *enchifrénement*) eſt muci narium difficilis cum gravedine & ſternutatione effluxus.

4°. *Phlegmatorrhagia*, (*morve*) Junck. eſt muci narium, aut lymphæ, citra gravedinem effluxus.

5°. *Sudor*, (*ſueur*) eſt non naturalis ſeri per poros cutis effluxus.

6°. *Anacatharſis*, (*expectoration*) eſt copioſa muci vel albi fluidi, cum

tuſſi expectoratio. Huc *phthiſis*, *aſthma*, *tuſſis*.

7°. *Enureſis*, (*incontinence d'urine*) vel *perirrhæa* Hipp. eſt involuntaria, citra ardorem, urinæ profuſio, incontinentia.

8°. *Diabetes*, (*diabéte*) eſt copioſæ urinæ frequens emiſſio.

9°. *Dyſuria*, (*ardeur d'urine*) eſt difficilis & ardens mictio.

10°. *Leucorhæa*, (*fleurs blanches*) fluor eſt lochialis vel ſeroſi, flaveſcentis liquidi, ex utero emiſſio.

11°. *Gonorrhæa*, (*gonorhée*) eſt ſeminis vel puri vel purulenti è pene in viris, è vaginâ in feminis, ſtillicidium.

SECTIO III.

123. *Morbi evacuatorii primarum viarum non cruenti, excipiantur* Dyſtocia *&* Abortus.

1°. *Flatulentia*, (*ventoſité*) eſt flatuum moleſta & frequens emiſſio.

2°. *Nauſea*, (*envie de vomir*) eſt conſtans, ſed ſæpè inanis & ſummis conatibus ſtipata flatuum per os rejectio.

3°. *Vomitus*, (*vomiſſement*) eſt notabilis vel conſtans contentorum in æſophago facta per os rejectio.

4°. *Cholera*, (*cholera morbus*) eſt ſyndrome aut diarrhææ & vomitûs, aut diarrhææ cum nauſeâ aut vomitûs cum teneſmo.

5°. *Teneſmus*, (*teneſme*, *épreinte*) eſt mucoſa, pauca & cum ſummo dejiciendi deſiderio ac conatu frequens dejectio.

6°. *Lienteria*, (*lienterie*) eſt celer & frequens alimentorum vix immutatorum, dejectio.

7°. *Cæliaca*, (*paſſion cæliaque*) eſt chili, puris, aut albidi fluidi dejectio.

8°. *Cholirica*, Morton. Direct. eſt nigrorum dejectio.

9°. *Diarrhæa*, (*cours de ventre*) eſt involuntaria, frequens, aut con-

tinua liquidorum dejectio, qualis in lienteriâ, cæliacâ & cholicâ non obſervatur.

10°. *Dyſtocia*, (*accouchement difficile*) eſt muci & limphæ Amnii cum laborioſo parturiendi conatu; emiſſio.

11°. ***Abortus***, (*bleſſure, avortement*) eſt fœtus nondum vitalis, aut germinis præmatura excluſio.

CLASSIS OCTAVA.

Morbi Cachectici, ſeu Cachexiæ.

124. SUnt illi quorum character ex cachexia, id eſt, pravo corporis habitu, ſeu ex figuræ, coloris, odoris depravatione, deturpatione, deducitur. Cauſæ (ex 40. 58. 59.) ſuprà repetantur.

SECTIO I.

125. *Cachectici tabidi.*

1°. *Tabes*, (*conſomption*) eſt cor-

poris extenuatio, cum amphimerinâ lentâ citra puris ſputum.

2°. *Phtiſis*, (*phtiſie*) eſt corporis emaciatio cum tuſſi, dyſpnæâ, amphimerinâ, & puris ut plurimùm anacatharſi.

3°. *Atrophia*, (*atrophie*) eſt corporis vel partis marcor ſine amphimerinâ & ſputo purulento.

4°. *Maraſmus*, (*maraſme*) eſt magis macilenta quàm marcida corporis cachexia, hippocraticâ facie, ſceleti formam referens. *Maraſmus febrilis* ad alia genera eſt revocandus.

SECTIO II.

126. *Cachectici tumidi* (*vide* 40.)

1°. *Polyſarcia*, (*corpulence*) eſt corpulentia morboſa.

2°. *Pneumatoſis*, (*bouffiſſure*) eſt intumeſcentia cutis emphyſematoſa. *Anaſarca* Rondeletii.

3°. *Leuco-phlegmatia*, (*leucophlegmacie*) eſt cutis intumeſcentia œdematoſa.

4°. *Hydrocephalus*, (*hydrocephale*) eſt capitis, à fluido contento, intumeſcentia.

5°. *Aſcites*, (*hydropiſie*, *aſcite*) eſt totius abdominis à fluido contento gravis & fluctuoſa intumeſcentia.

6°. *Hyderos* uteri eſt in mulieribus non gravidis hypogaſtrii intumeſcentia, uteri figuram & ſitum obtinens.

7°. *Iſchuria*, (*retention d'urine*) eſt hypogaſtrii in utrovis ſexu intumeſcentia ab urinâ intra veſicam collectâ procedens.

8°. *Meteoriſmus*, eſt totius abdominis intumeſcentia flatuoſa, dolorifica & inflammatoria acuta.

9°. *Graviditas* ſaltem tubalis, molaris, &c. genus hujus claſſis conſtituat.

10°. *Tympanitis* eſt elaſtica abdominis à flatu contento intumeſcentia.

11°. *Pſeudo-Hydrops* Zacuti, eſt aſcites deceptivus à viſcerum excreſcentiâ, tumoribus enatis, &c.

12°. *Rachitis*, ex capitis & articulorum protuberantiâ, ingenio pueri præcoci, carniumque marcore, cognoſcitur.

13°. *Carcinoma* ex cancrorum multorum vel recidivorum exortu cognoſcitur: cancer autem eſt tumor renitens, lancinans, tuberoſus & pertinaciſſimus.

14°. *Scrophula*, (*les écrouelles*) ſtumoſa lues, ex glandularum colli, mezenterii aliarumve partium tumore ſkirroſo, genuum, digitorum tumore, facie plenâ, &c. cognoſcitur.

15°. *Elephantia* Avicennæ, eſt pedum & tibiarum intumeſcentia cum rubore, varicibus, ulceribus, & cruſtis, ita ut pedem ſquamoſum elephantis mentiatur. Rarus morbus.

SECTIO III.

127. *Cachectici leproſi, contagioſi & anomali.*

1°. *Syphylis* eſt cachexia leproſa,

contagioſa, puſtulis, nodis, ulceribus, verrucis, porris, ficis, inſignis, cum nocturno dolore, marcore, &c. è venereo contagio ſuſcepta, & mercurio ſananda.

2°. *Scorbutus* eſt cachexia contagioſa, maculis lividis, œdematis, vibicibus, puncticulis, ulceribus inſignis, cum oris fœtore, dentium nigredine, ſtomacace, doloribus, &c. ſpecificis debellanda.

3°. *Scabies*, *Pſora* Græc. eſt puſtularum valdè prurientium, manus ac dein cutim deturpantium efflorescentia contagioſa, mercurio aut ſulphure oppugnanda.

4°. *Lepra*, (*lépre des Grecs*) cognoſcitur ex tuberculis ſæpè corymboſis, duris, cruſtaceis, non foraminulentis, faciem aut artus deturpantibus.

5°. *Elephantiaſis*, (*ladrerie*) cognoſcitur ex tuberculis confluentibus, cute intermediâ, ſquamosâ, ſensûs experte cum raucedine, alopeciâ, &c.

6°. *Paſſio Bovina*, cognoſcitur ex abſceſſibus verminoſis ſub cute undequaque obortis. An dracunculus ſeu vena medinenſis huc referenda ſit?

7°. *Plica*, (*la plie*) ex capillorum inexplicabili convolutione, viſcoſitate, cruentatione, &c. cognoſcitur.

8°. *Ptiriaſis*, (*maladie pédiculaire*) cognoſcitur ex pediculorum, aliorumque inſectorum exortu à capite ulceroſo, aliiſque corporis partibus, ut oculis, podice, &c.

9°. *Tinea*, (*teigne*, *râche*) cognoſcitur ex cruſtâ, caput, faciem, imò cæteras partes, deturpante, favos apum imitante, foraminulentâ vel porriginosâ. Benigna puerulos infeſtat. Maligna differt à leprâ, quòd partem capillatam magis afficiat.

10°. *Alopecia*, cognoſcitur ex capillorum & pilorum defluvio.

11°. *Morphæa*, (*lépre des Juifs*) cognoſcitur ex maculis in parte capillatâ, glabris, albis vel flavis cutis

depreſſionibus cum pilorum decoloratione & tenuitate, &c. creſcentibus.

SECTIO IV.

Cachectici decolores.

128. Cauſæ (ex 59.) repetantur.

1°. *Cachexia*, eſt corporis pallor cum œdematosâ laxitate, debilitate, mœrore.

2°. *Chloroſis*, eſt corporis pallor puellis familiaris, cum picâ aut melancholiâ junctus.

3°. *Melanicterus*, icterus niger, (*ictère noir*) eſt lividarum macularum aut nigricantium in cute exortus, aut cutis nigredo, citra ſcorbuti ſigna.

4°. *Sphacelus*, eſt partis nigredo cum fœtore, mollitie, ſensûs defectu.

5°. *Aurigo*, eſt flavus corporis color.

CLASSIS NONA.

Vide pag. 286.

NOSOLOGIÆ
SECTIO II.
De ſpecificis & antiquis Morborum differentiis.

129. POſt abſolutam methodum perficiendi Hiſtoriam morborum per phœnomena ſua, proximum eſt, ut eamdem inſtituamus per cauſas illos producentes; atque ſtatim animadvertendum eſt, graviter errare medicos, qui putant nonnullos morbos eſſe primarios, ab iiſdem cauſis ſemper productos, & eamdem curandi methodum ſemper expoſcentes; cùm per repetitas graviſſimorum Medicorum obſervationes certò jam conſtiterit, morbos præfatos, non eſſe ſemper primarios, & ab iiſdem cauſis, ſed ſecundarios & à diverſis cauſis pendentes: adeòque tot in ſpecies eſſe diviſibiles, quot ſunt morbi principales, & cauſæ conſ-

tantiores, quæ illos produxerunt.

130. Imò conſtat ſingulas prædictas ſpecies, propria, & ipſis ſolis familiaria habere ſymptomata, proprios pariter invaſionis, augmenti & declinationis modos, medendi denique methodum, ſingulas, à reliquis aliis toto cœlo diverſam expoſcere; cujus veritatis lux ex ſolâ Mortoni Phthiſiologiâ inclareſcit. Hactenus ill. Baglivus *Prax. Med. l. 2. cap. 9.*

131. Zoologi, Mineralogi, Botanici ſua ſubjecta; Aſtronomi, planetas & aſtra; exercituum præfecti, milites, ordinant in claſſes, ſectiones, genera & ſpecies. Sola jacet morborum hiſtoria ſine ordine, ſine methodo. Si Botanicus nullas Aconiti ſpecies, nedum genera, diſtinxiſſet, quis à ſalutiferâ anthitora, venenatam thoram dignoſceret, niſi lethali periculo? Si Aſtronomi raros, remotiſſimos, vix conſpicuos planetarum ſatellites ab ſtellis non diſtinxiſſent,

xiſſent, quàm utilium Naucleris inventorum ſpes adimeretur!

132. Morbus quilibet non eſt effectus tot cauſarum, quot ſunt circumſtantiæ diverſæ in ſubjecto regionis, ægrotante ætatis, regionis, ſexûs, temperamenti, victûs, ingenii, &c. Nam calculo inito, nullus alteri ſimilis umquàm reperiri poſſet, ſi ſorti traderetur hæc morborum efformatio. Ex cauſis tantùm ſeptem tali arte, 4699. effectus ſeu morbi ſpecie diverſi orirentur, ex centum cauſis infinitus penè numerus. Sunt tamen definita morborum genera & 3000. circiter ſpecies, hactenùs deſcriptæ.

133. Morborum differentiæ, genericæ aliæ ſunt, aliæ verò ſpecificæ; præter variantes, vagas, & inutiles. *Genericæ* deſumuntur à *ſymptomatum* certo *concurſu*, ut vidimus à parte corporis quæ affici videtur, licèt reapsè non affecta ſit, à *motu* continuo, vel

periodico, à *duratione* acutâ vel chronicâ, &c. *Specificæ* verò potiſſimùm à *cauſis evidentibus* ex ætate, regione, ſexu, temperie, quandòque dependentibus, & à *morbis protopathicis* novum foventibus.

134. A parte ſeu ſede occupatâ alii morbi ſunt *univerſales*, ut febriles, inflammatorii, ſoporoſi, leproſi, decolores, &c. Alii *particulares*, ut evacuatorii, in quibus tamen non ſecùs ac in horologii particulari læſione, tota machina aliquatenùs afficitur. Iſti dividuntur in morbos capitis, pectoris, abdominis, &c.

135. Indè, qui characterem genericum aut claſſicum deducere tentaverit, auſis ſuis excidet. Quis enim ita certè & evidenter ſcit à conſpecto v. g. acûs horariæ defectu, an axis, an catena, an timpanum, an rota verticalis, an elater hoc vel illo vitio laboret? Apoplexia juxta Ariſtotelem eſt morbus cordis, juxta Neotericos morbus encephali,

cerebri, cerebelli; illam melancholico humori deberi quandòque Galenus, ſemper Fernelius, numquàm Cardanus, ſuo modo demonſtrant.

136. Ratione motûs, alii *continui* ſunt ſine particulari exacerbatione, alii *exacerbantes* ſine intermiſſione, alii intermittentes. Exacerbantes & intermittentes vocantur *periodici*, qui iterùm ſunt, vel regulares, vel anomali. Ordo recurſuum *Typus* vocatur. Recurſus vocatur *paroxyſmus* vel *acceſſus* ac *inſultus*; intervallum *remiſſio* aut *intermiſſio* dicitur.

137. Rursùs alii velociter ſua percurrunt tempora, & dicuntur *acuti* ſi ſint cum periculo, ſecùs verò *breves*; alii tardè adoleſcunt & declinant, ita ut menſem & ſemiſſem dimetiri poſſint, & *chronici* vocantur, ſi cum periculo, ſecùs *longi*; verùm ex duratione, generalis & accurata non poteſt deduci diviſio, qualem Cœl. Aurelian. & Aretæus tentaverunt.

138. Si phœnomena ſint in parte ubi cauſam procatharcticam ſedere vel agere creditur, morbus *idiopathicus* eſt, ut vomitus à phlogoſi merâ ventriculi, dolor digiti à percuſſo digito. Si verò diverſa ſit ſymptomatis & cauſæ ſedes, morbus *ſympathicus* nuncupatur, ut vomitus à nephritide, dolor digiti à contuſo olecranio, &c. *Vide* Rega *de ſympathiâ.*

139. Si idem homo laboret unico morbo ut variolâ, is morbus dicitur *Solitarius*; ſi duobus, aut pluribus ſimul, iiſque diverſi generis & ſectionis, ut *variolâ* & *epilepſiâ* vel *ſyphylide*, ejus ægritudo *multiplici* vel *ſociato morbo* conflata dicitur. Solitarius verò morbus eſt vel *ſimplex* vel *compoſitus*, pro ſymptomatum eſſentialium numero. *

* Morbus dividitur variè & inutiliter à Medicis in morbos ſimilares, organicos, communes, &c. Utiliter verò & clariùs dividi debuiſſent in ſimplices, & compoſitos: *Morbus* ſimplex eſt id quod à ſcriptoribus inſtitutionum appellatur *ſymptoma* &

140. Ratione ſubjecti, ſunt morbi ætati, regioni, ſexui, temperiei, artifici cuique proprii; ut *odontalgia* à dentitione infantibus; *plica* Polonis; *nymphomania* & *chloroſis* ſexui ſequiori (viros chloroſi affectos rarò obſervare datur.) *mania* ſanguineis & bilioſis; *ophtalmia* leprurgis, foricariis. *Vide* Ramazzin. *de morbis artific.* Stath. *de morbis ætatum*, &c.

141. Non ſecùs ac grues, coturnices, certâ anni tempeſtate prodeunt, certâ recedunt; ita morbi

ſymptomatum complexio, eſt id quod ab iis dicitur *morbus*, nobis verò *morbus compoſitus*. Et his paucis verbis ſi conſiderentur, magna amovetur confuſio ex inſtitutis medicinæ, in quibus non reperietis diſtinctam morbi & ſymptomatis ideam, Pitcarn. Element. Medic. Phyſ. Mathem. pag. 22. morbi ſimplices rarò conſiderantur, hos tamen claſſibus noſtris annumeravimus, ob fines à Gortero indicatos, tales morbi ſunt *Paraphroſine*, *Meteoriſmus*, *Polydipſia*, *Laſſitudo*, *Aſthenëia*, *Agrypnia*, *Rigor*, *Sudor*, *Tuſſis*, *Nauſea*, *Oſcitatio*, *Sternutatio*, *Dolor*. Febrilis commotio & affectus omnes in aithiologiâ recenſiti. Illi morbi velut plantæ paraſitæ aliorum comitatu ſubſiſtunt, vel ſunt aliorum ſatellites.

alii ſunt *Vernales*, alii *Autumnales*: imò quidem certò menſe tantùm, ut cholera regularis Auguſto, comparent; alii horas ſervant; ſic ephemera primo diei diluculo; tertiana circa horam jentàculi; quartana pomeridie, ſæpiùs advenit.

142. Si plurima & diverſa ſimul morborum genera in urbe aut regione obſerventur, illi dicuntur *ſporadici*, diſſeminati; ſi verò eadem ferè morbi ſpecies, ut *peſtis*, ſimul plures homines afficiat, morbus ille *pandemius* nuncupatur. Pandemii ſunt vel *Epidemici*, vel *Endemici*: Epidemici ſeu populares ſunt pandemii à loco in locum graſſantes. *Endemii* ſunt pandemii fixi & topici. Sic peſtis apud nos fuit epidèmia, quia à regione in regionem graſſabatur, in Ægypto verò ubi ſemper pedem figit, endemia eſt.

143. Ratione ordinis, alii morbi in eodem ſubjecto alios antecedunt, & vocantur eorum reſpectu *Protopa-*

thici, primarii, vel antecedentes; qui verò eos ſubſequuntur ſunt *deuteropathici*, ſecundarii, ſuccedanei; aut *Recidivi* etiam, cum idem genus morbi nondum benè ſublato priori, revertitur. De mutationibus & ſucceſſionibus morborum jam quidpiam proferre locus exigit.

144. Morbi genus vel ſpecies mutatur per ſubſtitutionem vel per additionem. Græci aiunt per metaptoſim, & per epigeneſim.

145. *Metaptoſis* eſt mutatio unius morbi in alium exutâ priori pelle: ea dividitur in diadoche, & in metaſtaſim.

146. *Diadoche* eſt ſpecies metaptoſeos, quæ ſine virium vitalium impetu, conatuve adaucto, ex ſolâ materiæ morbificæ vi producitur. Fit autem 1°. vel ſupreſsâ quadam evacuatione, ſeu quia cauſa morbi derivatur in partem minus reſiſtentem, ut in *Anaſarcâ*,, diabetem, excipiente, aut etiam abortâ qua-

dam evacuatione, ut *Diabetes* aſciti ſuperveniens. 2°. Vel ex cauſarum intenſione ac remiſſione ut *polydipſia* febrilis, quæ accedente delirio evaneſcit. Sic *Caligo hyſterica* dyſuriæ, palpitationi aut alteri morbo *hyſterico* ſuperveniens priorem aufert; ut arthritis pedes repetiens aufert aſthma arthriticum; *hæmorrhois* recurrens ſolvit *aſthma* plethoricum, &c. 3°. Ab unius ejuſdemque humoris mutata qualitate, ſic *lienteria dyſenteriæ* ſuccedit & phthiſis hæmoptyſi, & mictus cruentus ſeu *hæmaturia*, gonorrhææ, &c.

147. Metaſtaſis eſt ſpecies metaptoſeos quæ fit per tranſlationem ſubitaneam materiæ morbificæ à parte in partem à naturæ conatu procedens. Sic fit *hæmoptyſis à ſuppreſſis catameniis*, *hæmorrhoïdibus*. *Hæmorrhoïs maniæ ſuperveniens*; *quartana maniæ ſuperveniens* & eam auferens; *Synochus tetano* ſuperveniens eleum ſolvens. Diadoche & metaſtaſis alia

bona,

bona, alia prava, alia indifferens; *Cophoſis* ſynocho ſuperveniens, & *Synochus* tetano, bona metaptoſis eſt; *phthiſis*, *hæmoptyſi* prava; *Diabetos* leucophlegmatiæ indifferens (*vide* n. 48. 1. 2.)

148. *Epigeneſis* eſt mutatio morbi per ſymptomatum additionem, ſymptomatisantiquisnonabeuntibus.

Symptomata ſic addita vocantur Epigenomena & licet ſemper ſpeciem novam morbi non faciant, ſingularem tamen merentur attentionem. Unde in hiſtoriâ quæ à D. Gortero proponitur, quam quiſque Doctor ſibi parare deberet, illa ſymptomata ſuo quaque loco debent reponi; ea autem epigenomena utplurimùm pejòrem ægri conditionem faciunt, ut videre eſt in *lib.* 7. *Aphor. Hipp.* qui liber eſt totus de epigenomenis. *Teneſmus* gravidis ſuperveniens, undè Abortus. *Frigus* extremorum colicæ grori ſuperveniens ominoſum. *Spaſmus* ab hyper-

catharſi lethalis. *Paraphroſyne* ex cranii diacope; *Singultus* hepatidi ſuperveniens; *Paraphroſyne* ex agrypnia, &c. Sic in genere cujuſque morbi ut paraphroſynes *Claſſ. VI. Sect.* 1. *Gen.* 7. omnes ſpecies ac aphoriſmi ad delirium pertinentes deberent referri. Utinam quiſque medicus ex proprio aut alieno penu talem hiſtoriam in codicibus claſſium harum adinſtar diviſis exararet.

149. Morbi à Stalhianis etiam dividuntur in activos & paſſivos. *Activi* illi ſunt, quorum ſymptomata potiſſimùm à naturâ, ſeu vi vitali dependent, ut hæmoptyſis plethoræ ſuperveniens, variolarum eruptio, evacuationes criticæ. *Paſſivi* verò qui à cauſâ externâ producuntur, naturâ reluctante & invitâ, ut hæmorrhagia à vulnere, Apoplexia à fractura cranii; paralytici & ſoporoſi ferè omnes.

150. *Legitimi* etiam morbi vocantur illi, qui generico ſuo characteri

probè congruunt, ut pleuritis, quæ febre acutâ continuâ, dolore pectoris pungitivo, tuſſi & dyſpnæâ ſtipatur. *Spurii* verò ſunt illi, qui licèt ad genus ipſum magis pertineant, quàm ad aliud, hujus tamen non omnes omninò gerunt characteres, ut eſt pleuritis febre lentâ aut intermittente, aut nullâ ferè tuſſi, cum aliis tamen ſymptomatis, inſignita. In ſcholis morbi dividuntur in eſſentiales & ſymptomaticos. Sed indè magna oritur confuſio, quia his vocibus intelligunt quod nos per ſymptomata eſſentialia (81) quæ ſimul aſſidua ſunt, & per ſymptomata epigenomena ſeu accidentalia (83.) ſic in pleuritide malignâ dicunt febrem eſſe morbum eſſentialem, & dolorem pectoris eſſe morbum ſymptomaticum; quia accedente delirio dolor ſilet, aut non ab initio morbi ſævit; ſed ex hâc loquendi formâ ſequeretur, pleuriticum tot morbis diverſis laborare,

quot ſymptomata patitur, contra morbi definitionem. (84.)

151. Mitto alias differentias in parvos, magnos, keticos, hecticos, congruos, incongruos, &c. utpotè minoris momenti; imò multò plures quàm opus eſt, fortè tradidi; non ut rationi, ſed ut uſui obtemperarem, cujus etiam gratiâ recepta plura morborum nomina, utcùmque inepta, æquivoca, homonyma aut ſynonyma, invitus reliqui, & adhibui, ab eruditis quondam reformanda.

152. Hoc unum moneo, quòd tot ſtabiliendæ ſunt ſpecies cujuſvis generis morbi, quot ſunt cauſæ conſtantes, & quot ſunt morbi protopathici, à quibus produci aut foveri ſolent: ab arthritide repulsâ v. g. fit Aſthma *arthriticum* Muſgrav. cujus exortus, proceſſus, deceſſus, ſymptomata ſpecifica, curandi ratio, ab aliis aſthmatis ſpeciebus diſcrepant; quod de aliis dictum eſto.

153. Ratione principii prægumeni (*vide* Aitiologiæ Sect. prim.) ſi per ſua phœnomena ſit cognita, ſpecies morborum diſcriminari debent; illud eſt totius praxeos fundamentum, totius hiſtoriæ morborum baſis, & ſanè ait Baglivius (*lib. 2. cap. 9.*) inter præcipua artis noſtræ deſiderata, illud meritò reponimus, ut ſcilicèt ſinguli quique morbi in tot ſpecies ſubdiſtinguantur, quot ſunt *Morbi primarii* à quibus producuntur; & ſingularum ſpecierum proponantur ſigna characteriſtica, necnon methodus cuilibet opportuna & ſtabilis, eâdem potiſſimùm ratione, quâ id factum videmus à Botanicis, qui ſub generali nomine cujuſvis plantæ v.g. cardui, plures hujus ſpecies comprehendunt. "

154. Sentio autem, dixerat anteà, Anglorum Hippocrates, Sydenhamus, *præfat. p.* 1. „ noſtræ artis incrementum in his conſiſtere, ut habeatur, 1°. Hiſtoria morbo-

„ rum.... in quâ omnes ad definitas
„ ac certas ſpecies revocentur, eâ-
„ dem prorsùs diligentiâ ac acribeïâ,
„ quâ id factum videmus à Botanicis
„ ſcriptoribus in ſuis phytologiis.
„ Quippè reperiuntur morbi, qui
„ ſub eodem genere, ac nomencla-
„ turâ redacti, ac quoad nonnulla
„ ſymptomata ſibi invicem conſimi-
„ les, tamen & naturâ inter ſe diſ-
„ creti, diverſum etiam medicandi
„ modum expoſtulant. Porrò in ſcri-
„ bendâ hâc Hiſtoriâ, ſeponatur
„ tantiſper oportet quæcumque hy-
„ potheſis philoſophica : perpetua
„ & peculiaria phœnomena ſeorſim
„ ab accidentibus, & adventitiis
„ enarrentur, (pag. 8.) cujus hiſ-
„ toriæ (pag. 9.) utilitas ad praxim,
„ omnem exiſtimationem excedit,
„ ac præ quâ ſubtiles diſquiſitiones,
„ ac argutiolæ, quibus neotericorum
„ libri ad nauſeam ferè infarciun-
„ tur, nullo in numero ſunt haben-
„ dæ. Quâ enim aut compendioſio-

re, aut etiam aliâ viâ, vel cauſæ "
morbificæ, vel indicationes cura- "
tivæ elici poſſunt, quàm certâ ac "
diſtinctâ peculiarium ſymptoma- "
tum deſcriptione? Neque enim "
vita eſt tam levis circumſtantia, "
quæ ſuos uſus ad utrumque non "
habeat. Nam ut demus aliquid "
varietatis à temperamento indivi- "
duorum & tractandi ratione pro- "
ficiſci, nihilominùs adeò æquabi- "
lis ac ſibi ubique ſimilis eſt naturæ "
ordo in producendis morbis, ut in "
diverſis corporibus eadem plerùm- "
que reperiantur ejuſdem morbi "
ſymptomata, ut viola tricolor, "
vitis appiana nigra, omnibus ubi- "
que terrarum ejuſdem ſpeciei vio- "
lis, vitibus, ſimilis reperitur, ſi "
rectè ſemel deſcripta fuerit. Et "
quidem, nos ob eam potiſſimùm "
cauſam, accuratiori morborum "
hiſtoriâ ad hunc uſque diem deſ- "
titui exiſtimo, quia ſcilicèt pleri- "
que, eos, pro confuſis, incondi- "

„ tiſque naturæ malè ſe tuentis, & „ de ſtatu ſuo dejectæ effectis, tan- „ tùm habuere; qui error ſolius „ quartanæ febris regularitate perſ- „ pectâ ſatis redarguitur. „ Hæc omnibus operibus ſuis inculcat eximius ille vir, quem elogiorum parciſſimus Boerhaavius nuncupat *Angliæ lumen*, *Artis Phœbum*, *alterum Hippocratem*, de cujus erga rempublicam Medicam meritis numquàm ita magnificè dicitur, quin ejus id ſit ſuperatura dignitas. *Orat. de Hipp. ſtudio.*

155. Nec ſilendum quod de methodo, quam ſequimur, ſenſit celebr. Morton, *in Præf. Phtiſiol. p.* 3. multò frequentiùs in medicinæ opprobrium, ac in ægrotantium ſummum damnum, quod vel in ipsâ Phtiſiologiâ ſatis apparet, plurimos variantes morbos ſub uno generali titulo, pleriſque Medicorum ſcriptis comprehenſos, atque uni, eidemque methodo accommodatos, paſſim reperimus.

Cùm vel penè dejerare poſſim, neminem, quantùmvis hâc generali ſcientiâ inſtructum, atque verſatum, cum ſucceſſu felici artem ſuam exercere poſſe, donec vel ingenii ſui ſingulari acumine fretus, vel multo etiam uſu inſtructus, pro diverſitate cauſarum, ſymptomatumque, diſtinctiorem morborum ideam ſibi ipſe formaverit & perſpectam habuerit. Hactenùs Mort.

156. D. Gorterus, duodecim abhinc annis, orationem inſtituit, ad methodi Botanicæ in Pathologiâ neceſſitatem ulteriùs commonſtrandam, & ſimul Aphoriſmos ſuos proponit, ſolertiſſimè conceptos. " Is " morborum ſpecies æquè conſtan- " tes eſſe exiſtimat, ac plantarum " ſpecies & naturam in ſuis opera- " tionibus eſſe conſtantiſſimam; hoc " ſi concedatur, *quod*, pergit ille, " *à nemine ſanæ mentis poteſt negari*, " magna quidem affulget ſpes, tan- " dem praxim ad illam certitudinem "

„ perventuram quâ hodiè gloriatur „ Botanica. Botanici plantas digeſſe- „ runt in genera, quæ itidem in ſpe- „ cies: hoc non minori, in medicinæ „ praxi fieri poſſe, certitudine, reor; „ ſuaſit mihi ſimilitudinis in utriſ- „ que ratio, & experientia in qui- „ buſdam. "

157. His calculum ſuum addit *Muſgravius*, qui morborum arthriticorum ſpecies accuratè delineavit eâdem prorsûs methodo, quâ id factum videmus à Botanicis. „ Quan- „ tò, ait ille *Præf.* 1. & quàm dignè, „ riſu exciperetur, qui dum artem „ exercere profeſſus ſit gemmariam, „ omnes illos, quotcùmque circum- „ feruntur adamantes, tamquàm le- „ gitimos & veros æſtimaret, atque „ adeò acciperet? & eorum ſpecies „ colore, duritie, origine, proin- „ dèque pretio diverſas, ignoraret; „ utcùmque falſorum cognitio cu- „ rioſitati tantùm inſervire videatur. Non meliùs excipiendi ſunt, qui

morborum ſpecies, quas noſſe & diſtinguere vitæ hominum intereſt, ſine ordine & diſtinctione à generibus ſuis tradendas cenſent.

158. Nimius eſſem ſi hanc noſtram Pathologiæ ineundæ viam à pluribus aliis artis *Antiſtibus* (ut D. Helvetio *Tract. de Variolis*; D. Chicoyneau, Archiatrorum Comite, hujuſce Univerſitatis dulciſſimo decore & ſummo ornamento, *tract. de peſte*) jam præmonſtratam eſſe adverterem; ſi eam à Cl. Boerhaavio *Aph. de ictero*, *Anginâ*, *Epilepſia*, &c. preſſam; à D. Nentero, *Præfat. Pathol.* commendatam, à nullo hactenùs cognito Autore, ex Sydenhamo ad uſque noſtra tempora, deſpectam fuiſſe, oſtenderem. Hæc ſufficere videntur ut, ſi ab ignavis Arabum pediſſequis, & iis qui conſuetudine potiùs quam ratione ducuntur, convitia & ſcommata in hancce novam methodum vibrata fuerint, ea tantorum virorum, quo-

rum vexilla ſequimur, ſcutis impingant, ac in jaculatores ipſos repellantur.

159. De reformandâ morborum nomenclaturâ quid referam? Satiùs eſt fortè ſilere, quàm hâc de re pauca dicere. Certum eſt quòd res diverſæ, diverſa; & ſimiles, ſimilia nomina expoſtulent, & ex Iſidoro *nomina ſi tollas, perit & cognitio rerum*. Certum & pariter eſt quòd morbi prorsùs novi nova nomina ſibi velint. Indè *Cælius Aurelianus* plura inſtituit, ut ſunt Catalepſis, Boulimia, Cœliaca, Ephialtes, Timpanitis, Elephantiaſis. *Romanis Medicis* debentur Colica, Ileus, Chordapſus, Phtiriaſis, Hyſteria. *Fracaſtorio* Syphylis; *Nuperis*, Noſtalgia; *Junckero* Tarantiſmus; *Arabibus*, Variola; *Pienti* Rubeola, &c. Botanicis centum quinquaginta nomina à celebribus viris mutuata, debent plantæ, ut Niſſolia, Magnolia, Boerhaavia, &c. Præter Græca ut permiſerat Horatius:

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi Græco fonte cadant, parùm detorta.

Verùm tantùm in me ſumere nolui, ut nova nomina morbis inderem; Raii meticuloſitatem, Dillenii, Plumierii, Winſlowi, Linnæi, Artedii, audaciori acribeïæ anteponens. Hoc tantùm licitum eſſe, & facilè condonandum putavi ut 1°. inter varia inepta, confuſaque Græcorum, Latinorum, Arabum, & Latino-barbarorum nomina, aptiora ſeligerem, v. g. eidem generi congruunt hæ nomenclaturæ, *Karos* Græc. *Carus* Latin. *Gravitas* Theod. Gazæ. *Oppreſſio* quibuſdam. *Perculſio* Poſſidon. *Marcor* Celſ. *Preſſura* Cœl. Aurel. *Torpor* multis. *Stupor* interpr. Galen. *Subeth* Arab. *Gravis Dormitatio* Rhaſ. &c. inter quas carus electus eſt, cæteræ verò repudiatæ. 2°. Suppreſſi ſæpè prænomina, generibus ineptè ſociata, undè hæc nomina *Paſſio colica. Paſſio colica Gaſtrica. Paſſio colica Ne-*

phritica. Col. Hepatica. Col. Splenica, &c. caſtrata ſunt, cùm iſta ſufficiant ſcilicet *Colica. Nephritica. Hepatica*, &c. ut *Cholera* Mercurial. ſufficit ad *Cholera-morbum* deſignandum, & *Sphaceliſmos* Barthol. pro cerebri & cerebelli inflammatione; & *Hiſteria* Baglivi, pro paſſione hiſterica Arabum, & *Malo Hiſterico-Colico-Spaſtico-Hippochondriaco* Germanorum. Idem per pauciora, potiùs quàm per plura agendum eſſe dictat ratio. 3°. Lubens admiſi nomina energetica, brevia morbis etiam nuper indita; nomenclaturas à causâ & ſede morbi oriundas, longas, æquivocas, & ſuſpectas ratus. Undè arrident *Gaſtritis*, *Cyſtitis*, *Splenitis*, &c. Boerhaavi *Comm. in Aphor. Hyſteralgia* Monralti *Synop.* Diſplicent longiora ut *Pothopatridalgia* Zwinger. quæ rectiùs *Noſtalgia* non verò *Noſtraſſia* appellatur. *Tritæus. Tritæophia*, &c. vetuſta ſunt & optima nomina. 4°. Nomina ſin-

gularis morbi pluralia, ſingulari reſtituenda judico, ut de fungis, muſcis, &c. fecere Botanici, & de inſectis Zoologi. *Variolæ*, *Morbilli*, *Hæmorrhoïdes*, *Aphtæ*, ſingulæ unicum morbum faciunt, ergo in ſingulari nominandæ. *Variola*, *Rubeola*, *Hæmorrhois*, *Aphta*. 5°. Nomina epitheta ſpeciebus deſignandis tantùm ſunt deſtinata, ſive adjectiva ſint ut *Phthiſis Aſthmatica*, *Phthiſis Icteritia*, &c. Morton. *Ophtalmia gallica* Bagliv. *Colica Hyſterica* Sydenh. illa epitheta morbum foventem tantùm deſignant. Sive ſubſtantivis conflata, ut *Ephemera ab inſolatione* Avicenn. *Tuſſis ſympathica ex auris ſcalpturâ* Sennert. *Aurigo ex viperæ morſu*, &c. de nominibus imponendis vide canones à Clariſſ. Linnæo *Criticâ Botanicâ*; A Turnefortio *Inſt. præf.* Ab Artedio *Ictiolog.* traditos, &c. 6°. Nomina abſurda ſeu rei deſignatæ contraria ſunt aliis licèt minùs uſitatis poſtponenda. *Fluxus he-*

paticus deſignat morbos qui non ſunt ab hepate; *fluor albus* deſignat morbos qui fluxu pellucido, luteo quandoque ſtipantur; *fames canina* indigitat morbos hominis, adeòque non caninos; ergo nomina ſunt abſurda, & prætereà in legem ſecundam peccantia, necnon in ſeptimam.

7°. Nomina phyſiologica ſeu functionibus ſanis dicata, necnon aliis ſcientiis erepta, ac quocumque modo æquivoca, univocis licèt minùs uſitatis ſunt poſtponenda; ſic *fames*, *ſitis*, *imaginatio*, *partus*, *reſpiratio*, ſunt termini phyſiologici, adeòque ad ſignificandos morbos non adhibendi, ut in fame caninâ, partu difficili, reſpiratione difficili; *clavus*, *nux*, *talpa*, *fungus*, *formica*, *porrum*, *tinea*, *roſa*, *ignis*, *purpura*, *elephas*, &c. ſunt termini artium, vel hiſtoriæ naturalis, adeòque ſi ad morborum genera traducantur, fiunt æquivoca & ſæpè abſurda. Eâdem ratione nomina claſſibus & ordinibus morborum

borum dicata, generibus præfigi non debent, quia indè nomen genericum longius, inutile & memoriæ onероſum evadit. *Canis* rectiùs dicitur quàm *quadrupes piloſum*, & cætera verba ejus definitionem ingredientia, ſic ſatiùs eſt *pleuritidem* dicere quàm *dolorem pungitivum pectoris*; ſatiùs eſt *diarrhæam* quàm *fluxum alvi*, ad eumdem morbum nominandum, adhibere. Nomine *Ephemeræ*, *Tritæophiæ*, &c. breviùs ſignificatur genus morbi quàm nomine *febris ephemeræ*, *febris tertianæ exacerbantis*, &c.

8°. Nomina quæ nec græcâ nec latinâ origine ſunt, barbara reputentur ut *Beriberii*, *Subeth*, *Mordexin*, *Apoximerum*, & omnia nomina gallica, germanica, hiſpanica, &c. pro generibus in opere latino deſignandis repudianda ſunt, ipſamet græca nomina latinis litteris ſcribenda, ut grata ſervetur uniformitas.

9°. Nomina tum generica tum

ſpecifica à Sanctis deſumpta, ut malum Sancti Eutropii, Sancti Antonii, Sancti Clari, Sancti Joannis, plebi relinquenda ſunt.

10°. Nomina metaphorica, figurata à ſcientiis ſeriis ableganda ſunt, illa enim aliud dicunt, aliud verò ſignificant, ut *ignis Perſicus* pro eryſipelate; *roſa ſaltans* pro herpete; *ſyderatio*, *percuſſio* pro apoplexiâ.

11°. Nomina generica & ſpecifica quæ cauſam loco ſymptomatis præ ſe ferunt, fallacia ſunt, ut *refrigeratio* pro coryzâ; *ictus ſanguinis* pro apoplexiâ; *ventus* pro colicâ flatulentâ; *ſuppreſſio catamæniorum* pro cephalalgiâ, chloroſi, diſpnæâ; *calculus* pro dyſuriâ; *carnoſitas* pro ſtranguriâ, iſchuriâ, &c. indè enim morborum nomina pro varietate hypotheſeum varia & numquàm conſtantia forent; atque Galenici *pituitam* dicerent quod nos ophtalmiam, coryzam, catarrhum; Chimici loco

febris, *fermentationem auctam*; alii loco ſynochi, *febrem putridam*; pro convulſione *aquas in cerebro*; pro hyſteriâ, *uteri ſtrangulationem*, *divagationem*, nominarent. Porrò licèt mutabilis ſit æthiologia, morborum nomenclatura conſtans & certa debet eſſe.

12°. Nomina apud omnes eruditos & cordatos accepta, non ſine gravi rationum momento rejicienda ſunt, nec nova in eorum locum ſine neceſſitate obtrudenda, quia verba tantùm valent quantùm ſonant, & nova nomina vi cujuſvis authoritatis ſtabilire vix poſſibile eſt: verumtamen licuit ſemperque licebit tum novis morbis nova imponere nomina, tum in nominum aggerie meliora ſeligere, tum ubi conſuetudo pugnat cum ratione, rationi potiùs quàm conſuetudini obſecundare: conſuetudo ratione deſtituta brutis quidem, ſed non hominibus ducendis, ſufficit. Et quo-

niam in ſingulis regionibus ſua ab aliis diverſa ſint morborum nomina, ita ut in Gallorum cœtubus, ſcholaſtica non minùs aures delicatas lædant quàm Germanica, atque in conſultationibus more plebeïo ſæpiſſimè morbi ſint nominandi, ac aptiſſima nomina, ut ſyphylidis, epilepſiæ, ſint diſſimulanda, reliquum eſt tantùm ut in ſcriptis medicis, vitetur terminorum confuſio, & apta nomina abſurdis anteponantur. Cum plebeiis plebeïo more loquendum, cum Philoſophis non ſolùm ex rationis legibus cogitare, ſed etiam verba facere licitum eſſe debet.

160. *Quâ in re*, aïebat Anglus Hippocrates, dum ſimilem pathologiæ reformationem jam ſenex commendabat, *licèt ſatis advertam me ſupinis atque ignaris fructum omnem eorum, quos per meliores vitæ annos corpore, animoque exantlavi, laborum, expoſiturum; malum tamen peſ*

ſimi hujuſce ſæculi genium ſatis habeo perſpectum, ut non aliam ex hâc ſemente, quam conviciorum atque contumeliarum meſſem expectem; meque famæ meæ longè meliùs conſuluiſſe, ſi inanem aliquam, atque inutilem ſpeculationem commentatus fuiſſem. Hoc verò mihi perindè eſt. Mercedem aliundè præſtolor. Si quis hic objiciat alios, æquè in hâc arte verſatos, non idem mecum de his rebus ſentire: meum non eſt, quid ſentiant alii, diſquirere, ſed prolatis adſtruere fidem; illam mihi veniam peto, quòd minùs accuratè morborum hiſtoriam, aut ejus ſynopſiam *delineavero; cùm non tam metam figam, quàm animos iis addam, qui feliciori ingenio præditos ad hoc opus poſteà ſe accingent, quod jam ego imperfectè molior.* Præfat. pag. 16.

CLASSIS NONA.

[Hanc Claſſem, quam poſt totius operis jam confectam editionem ad nos tranſmiſit Auctor, hîc apponi curavimus.]

Affectus Superficiarii.

SUnt pravæ diſpoſitiones partium externarum corporis humani, quæ formam ſeu pulchritudinem lædunt, ſed per ſe raró functionibus obſtant: illi vel colorem vitiant ut maculæ, vel cutis planitiem ut exanthemata; vel molem & figuram, ut excreſcentiæ & tumores; vel figuram & ſitum partium externarum, ut lordoſes & procidentiæ; ſed nec extenſione, nec ſymptomatum intenſitate notabiles ſunt: undè à morbis cachecticis & inflammatoriis exanthematicis diſcrepant.

1°. *Maculæ & Efflореſcentiæ.*

Leucoma, tache.

Leucoma eſt macula corneæ colorem vitians,& pelluciditatem minuens.
Leucoma opacum. Albugo Latinorum. *Albula*, Ingraſſias. *Mecoma* Græcor.
Leucoma ſubpellucidum. *Nebula* Latin. *Nephelion* Æginetæ; *nuage*.
Leucoma à pure latente. Hypopyon Græc. *Onyx* Galen. *definit. medic.* Cave ne confundas leucoma cum cataractâ vel glaucomate, vide *Amblyopiam*.
Leucoma à clavo. Tophus, albula, Woolhouſii *De cataractâ*.
Vitiligo, Lépre des Juifs.
Vitiligo eſt macula corymboſa ſeu ex minoribus maculis conflata cum cutis depreſſione, ubique corporis obvia.
Vitiligo alba maculis diſcretis, *Alphus* Græcorum. *Morphæa alba* Arabum.
Vitiligo alba maculis conjunctis cute exangui. *Leuce* Græcor. *Albara* Avicennæ cutis magis depreſſa;

pili partis albi & lanuginoſi.

Vitiligo Fuſca maculis raris, ſquamoſis. *Morphea nigra* Arabum.

Vitiligo flavo-nigreſcens maculis amplis. *Maculæ hepaticæ* Sennert. *Leberflecte* Solenandri. *Ephelis* Celſi. (*Chaleurs du foye.*)

Ephelis, (*Hâle, rouſſeur.*)

Cognoſcitur maculis umbrinis, glabris corymboſis faciei, pectoris vel manuum.

Ephelis ab inſolatione Sennert. (*Le Hâle.*)

Macula non eſt guttata ſed continua.

Ephelis gravidarum Sennert.

Macula frontem depaſcens palmaris.

Ephelis maculis lenticularibus. *Lentigo* Sennert. (*Taches de rouſſeur*)

Corymboſa eſt, maculis linearibus, ſeu lineæ unius vel alterius diametro.

Ephelis Lenticularis congenita ſubſolitaria, *Nævus lenticularis* Sennert.

Ephelis

Ephelis ab ambuſtione (*tache de brûlure.*)

Cruribus ad ignem propiùs admotis, aliiſque partibus uſtis accidit illa cicatricoſa macula.

Ephelis auriginoſa ſolitaria. Color icterodes infantum Junckeri.

Digitos quandòque deturpat macula lutea, fugax.

Gutta Roſacea, (*couperoſe, rougeurs.*)

Cognoſcitur ex maculis faciei rubris, guttatis, parùm prominentibus, aut aſperis.

Gutta Roſacea ſpontanea maculoſa, (*couperoſe ſimple.*)

Gutta Roſacea ſpontanea puſtuloſa, (*viſage bourgeoné.*)

Gutta Roſacea naſi, (*nez bourgeoné.*)

Gutta Roſacea eryſipelatoſa *der ilug* Gabelchoveri.

Obſidet ulcera, labia, nares, aliaſque partes.

Gutta Roſacea infantum, (*feu volage*) maculæ volaticæ Sennert. differt à priori, quòd achoribus,

vel cruſtis, vel phlyctænis cruſtaceis faciei ſit ſtipata.

Nævus, (*envie.*)

Eſt macula diverſicolor congenita, coloris pro diversâ anni tempeſtate varii, ſæpè fuſci, pollicaris, vel palmaris diametri quamcumque cutis partem afficiens, ſolitaria.

Nævus maternus Sennert.

Alia uvam, alia pellem ferinam, alia aliud referre putatur: ab ephelide lenticulari differt magnitudine.

Echimoma, (*Echimoſe*)

eſt macula livida, vel atro rubra, non congenita, ſine aſperitate & ut plurimùm plana.

Echimoma à contuſione, vulnere. (*meurtriſſûre.*) livor Sennert. Echimoſis vulgò.

Echimoma à morbo acuto maligno. *Vibices* vulgò.

Echimoma ſenum nigricans, melaſma Galen. iſtud pertinax eſt, cætera fugacia.

Differt à purpurâ, quòd macula Echimomatis ſit ampla : purpura verò pulicarem morſum referat.

Herpes, (*dartre*, *dertre.*)

Eſt macula rubra papulis confluentibus, pruriginoſis ſæpè farinoſis & ſerpentibus, conflata vix protuberans.

Herpes ſiccus planus. Herpes ſimplex Sennert. (*dartre farineuſe.*)

Herpes miliaris Sennert. Cenchrias Græcor. (*dartre miliaire*,) granulis eſt exaſperatus.

Herpes eſtiomenos Galen. (*Dartre humide & ulcerée.*)

Herpes periſcelis, (*la jartière.*) Zona & zoſtera Græcor.

Herpes collaris, (*dartre au cou*,) hodiè Eccleſiaſticis familiaris.

Herpes ſyphyliticus, (*dartre vérolique.*)

Impetigo, (*Gratelle.*)

Differt ab herpete cruſtis ſiccis, craſſis, acriter prurientibus ; ab ſcabie, quòd manibus non inſideat

potiſſimùm, & quòd puſtulas gerat confluentes.

Impetigo Plinii. Sennert. *Papulæ* Celſi. *Lichen* Hippocratis.

Eſſera, (*éruption.*)

Differt ab herpete, quòd puſtulas habeat glabras, non farinoſas, ampliores, apum morſibus ſimiles, pungentes potiùs, quàm pruriginoſas, raròpapulas.

Eſſera ſubitò accedens & recedens, (*porcelaine*,) an Roſa ſaltans Avicenn. papulæ roſeæ, latæ in diverſis partibus veſtitis ſine phlyctænis, ſine cruſtis intra paucos dies per vices recedentes.

Eſſera puſtulis circumſcriptis phlyctænoïdæis. Epinyctis Græcor. puſtulæ digitum latæ numeroſæ in partibus veſtitis, coloris ſcarlatini, cute albâ ſeu à carne ſeparatâ tectæ, quâ elapsâ, cavæ fiunt, atro rubræ, noctu acriùs dolent, plures dies perſeverat hic affectus.

Eſſera capitis puſtulis veſicularibus. Pſydracia Tralliani. Phlyctænas parvulas refert.

Eſſera à culicum, veſparum, &c. morſu.

Eſſera ab urticatione.

Eſſera ſolitaria ab acaris, (*le cyron.*) Puſtulæ ſunt manibus familiares à latente inſecto quod vocatur *Acarus* humanus ſubcutaneus. Faunæ Suec.

Hydroa, (*Ebullition du ſang.*) Dignoſcitur ex phlyctænis inſtar granorum milii prominentibus, pellucidis, vel aqueo ſero turgidis, ſubitò exortis per cutem veſtibus tectam diſperſis.

Hydroa rubra pungens, (*échanboulure*) *ſudamen* Latinis, Occitanis *cambroul*, papulæ miliares in maculis rubris calore incitatis.

Hydroa alba æſtiva. Bullulæ pellucidæ granis milii non majores, denſæ, cutem exaſperant, ſine coloris nativi mutatione.

Hydroa alba à frigore.

Cutis papulis concoloribus, ſed firmis, non pellucidis, exaſperata anſerina videtur.

N. „ Summa apud Auctores confu- „ ſio circa affectus cutaneos, quæ „ vitari vix poteſt, niſi termino „ cuique ſuus adfigatur ſignifica- „ tus; adeòque homonymia & ſy- „ nonymia fugiantur.

„ *Papula*, (*bouton*, *eleveure*) eſt tu- „ mor lineam unam aut alteram „ latus, coloratus, qui ſpontè „ non ſuppuratur.

„ Puſtula, (*bube*, *puſtule*,) eſt tu- „ mor diametri linearis, colora- „ tus qui in pus, vel in cruſtam „ ſpontè abit.

„ *Phlyctæna*, (*cloche*,) eſt tumor „ exiguus pellucidus & aqueo „ fluido turgidus, vel in cujus „ apice cuticula removetur à „ cute.

2°. Tumores, qui Phymata Græcis.

Differunt ab efflorescentiis multò majori cutis prominentiâ, quæ (excepto eryſipelate, œdemate, &c.) eſt ut plurimùm hemiſphærica, aut hemiſphærio major; è contrà efflorescentiæ ſunt diffuſæ, vix cutem ſupereminentes, & ut plurimùm numeroſæ non ſolitariæ: tumores calidi inflammatorii terminantur reſolutione, deſquammatione, decorticatione ſuppuratione, induratione ſeu ſcleriſmate aut skirro, & gangrænâ nec-non remollitione, ut cùm eryſipelas in oedemâ degenerat.

Hinc verò totidem ſingularum ſpecierum varietates deduci poſſunt, ut eryſipelas phlegmonodæum, ulceroſum, œdematoſum, &c.

Differunt ab excreſcentiis, quòd excreſcentiæ ſolidorum nutritione uberiori fiant; tumores vaſculorum infarctu producantur, & ſint fugaciores & ſæpiùs colorati.

Eryſipelas, (*eryſipele.*)

Eſt tumor ſuperficiarius diffuſus, coloris rubro-roſei preſſione evaneſcentis, illicò reverſuri, calore urenti, glabritie uniformi præditus, niſi phlyctænis exaſperetur.

Eryſipelas fugax ſpontaneum (*Eryſipele.*)

Differt glabritie & calore urenti ab herpete, ſpontè tendit non ad farinoſam, ſed ad coriaceam epidermidis ſeparationem, & citò terminatur.

Eryſipelas fugax ab ambuſtione, ambuſtio levis (*brûlure.*)

Illud phlyctænis ſeu veſiculis & ulcuſculis exaſperatur quandòque ut priùs, ſed pendet à cauſa evidenti.

Eryſipelas conſtans cruſtoſum faciei, phlyctæna Verducii (*ſeu volage*) an à guttâ roſaceâ diſtinguendum, pueris eſt familiare. Eryſipelas puerile Juncken.

Eryſipelas conſtans pruriginoſum

extremorum, *pernio* Latin. (*Engelure, mule.*) Lividum eſt, noctu acriter pruriens, pertinax, quandòque ulceratum, obſidet manus, naſum, pedes.

Eryſipelas puerile ab urina. *Intertrigo.*

Infantes qui in ſeipſis mingunt, huic ſunt obnoxii; ſedes in femoribus, perinæo, natibus.

Eryſipelas ab attritu. *Paratrima* Græcor.

Accidit clunibus ab equitatione, coccigi à longiori morâ in lecto ſæpè cum epidermidis excoriatione & contuſione.

Oedema, (*edeme.*)

Eſt tumor diffuſus, frigidus, laxus, albidus, doloris expers.

Oedema cute flavidâ, (*Edeme par infiltration.*)

In quo partes ſolidæ ſero imbutæ flaveſcunt, & fovea à digito impreſſa diù ſervatur, aſciticis familiare eſt.

Oedema penis ſyphyliticum, (*la cryſtalline.*)

Oedema hyſtericarum Sydenhamii. Illud pendet à ſimplice congeſtione lymphæ in cellulis adipoſis citra ſolidorum imbibitionem, undè veſtigia à digito impreſſa non ſervat.

Emphyſema, (*bourſouſlure, emphysème.*) Eſt tumor diffuſus, cuti concolor, flatuoſus, elaſticus.

Skirrus, (*Skirre*) *Scirrhus* vulgò. Eſt tumor viſcerum vel partium carnibus immerſarum durus, renitens, indolens, non gregalis.

Skirrhus hepatis, (*ſquirre au foye.*)

Skirrhus lienis. (*Squirre à la ratte.*) Differt tantum loco à ſtrumis, bubonibus induratis, niſi velint omnia & skirros cum ipſis excreſcentiis confundi.

Skirrhus ſubcutaneus, *Lupia* Caſtell. Lexic. (*Loupe*) *Glandula* Avicen. genua, frontem, partes ſiccas, articulos ſæpiùs afficit.

Phlegmone, (*Phlegmon.*)

Eſt tumor circumſcriptus hemiſphæricè protuberans, rubore, calore, tenſione, & dolore pulſatili inſignis, ſpontè in centro ſuppurans, nomen habet à calore urenti, & rubore flammeo.

Phlegmone teſtium à gonorrhæâ ſuppreſſâ.

Phlegmone mammarum in puerpeperis, (*le poil*, *arcouſſel.*)

Phlegmone ſphæroïdeo tumore, (*phlegmon.*)

Phlegmone tumore diffuſo, *Tumor phlegmonodes.*

Bubo, (*Bubon.*)

Tumor eſt partim skirroſus, partim phlegmonodæus, extùs ferè concolor ſi recens, in ſuppurationem lentè vergens & inguinibus inſidens.

Bubo ſyphyliticus Aſtruc *de Morbis venereis* (*poulain.*)

Bubo ſimplex, (*bubon.*)

Bubo febrilis.

Bubo innocuus ab incremento corporis, (*les croiſſants* ou *croiſſances.*) indurantur & intumeſcunt adoleſcentibus glandulæ inguinales; qui tumor ſpontè reſolvitur.

Parotis, (*parotide.*)

Eſt tumor skirroſo-phlegmonodæus glandulæ parotidis, cuti ferè concolor, ſpontè ſed tardè ſuppurans.

Parotis ſimplex primaria.

Parotis febrilis.

Furunculus, (*froncle*, *clou.*)

Tumor eſt cutaneam glandulam in globum firmum, atro-rubrum, acutè dolentem attollens ovi circiter columbini magnitudine, ſpontè ſuppurans excepto pano. Phlegmone ſubcutanea eſt, furunculus ipſi cuti inſidet.

Furunculus intensè ruber. Dothien. Galen. (*clou.*)

Furunculus atro-vireſcens tibiarum. *Terminthus*, (*terminte.*)

Furunculus eryſipelaceus, *panus* Latinis, *phygetlen* Græcis.

Eſt tuberculum eryſipelatorum, ſed prominens cutaneam glandulam obſidens, non ſuppurans, calore deurente & dolore mordaci ſtipatum.

Paronychia, (*panaris.*)

Eſt tumor phlegmonodæus extremi cujuſvis digiti cum dolore perterebrante inſigni, calore deurenti, colore rubro.

Paronychia ſubcutanea (*Panaris ſimple.*)

Paronychia in tendinis vaginâ.

Paronychia ſub perioſtæo latitans, acrior eſt & periculoſior affectus prout altiùs latet immerſa materies, acris & purulenta, quæ huic originem præbet.

Anthrax (*charbon.*)

eſt tumor durus, dolens cuti immerſus, apice livido, cuticulâ ſcilicet ſphacelum tegente, qui deindè labia retorquet & ulcere ſicco, atro-rubente ſerpit.

Anthrax vulgaris Græçor. *Carbo*

Sennert. *Carbunculus* (*charbon.*) definitur vulgò phlegmone in apice gangrænosâ : Occitanis familiarem dicit Plinius ; quandòque vix extùs apparet.

Anthrax epidemicus (*charbon peſtilentiel.*)

Homines & jumenta aggreditur, ſed apud Hippiatros talis vocatur tumor durus, ruber etiam in apice non lividus.

Anthrax phagædenicus. *Pruna.* Ignis perſicus , (*mal des ardens.*) *Hiſt. Gall.* Mezeray. Carnes ad oſſa uſque exedebat , & epidemicè graſſabatur.

Carcinoma , (*Cancer.*)

Eſt tumor durus , tuberoſus , conſtans , doloribus lancinantibus per intervalla recurrentibus ſtipatus, venis nigris circumdatus.

Carcinoma mammarum , (*Cancer au ſein , aux aiſſelles.*)

Incipit à tumore verrucoſo cutem internè trahente , dein tu-

beroſo, duro, venis nigris obſito, demùm ulcerato, ichorem fœtidum & rodentem effuſuro.

Carcinoma faciei. *Noli me tangere.*

Labia, nares, oculos afficit tumore lato, depreſſo, granuloſo, duro, lancinante & viciniam depaſcente, in tibiis *Lupus* vocatur.

Carcinoma ex ſtrumis degener (*tumeur cancereuſe* ou *chancreuſe*) initio eſt vera ſtruma aut parotis, dein pravâ victûs ratione aut ſanguinis craſſi, lancinans, erodens in carcinoma mutatur.

Ulcuſcula oris tum ſimplicia, tum ſyphylitica pudendorum ſunt quidem calloſa, & erodentia, atque cancri vulgò *chancres* nuncupatur, ſed à carcinomatis genere removenda videntur, & aphtis aut ulceribus accenſenda.

3°. *Excreſcentiæ.*

Ab uberiori & denſiori partium

ſolidarum nutritione procedunt, undè differunt à tumoribus; excreſcentiæ dividuntur in molles & in duras, ſeu oſſeas.

Sarcoma (*Sarcome*)
eſt excreſcentia carnis conſiſtentiam circiter obtinens.

Sarcoma vulgare Sennert. (*Excroiſſance charnuë.*)

Sarcoma naribus radicatum; polypus narium, (*polype au nez.*)

Sarcoma utero vel vaginæ radicatum, polypus uteri, *cercoſis* Græcor.

Sarcoma ulceribus adnaſcens, mollis fungus. (*Fongoſité.*)

Sarcoma dorſi penſile maximum, natta dorſi. Naphta.

Sarcoma capitis. *Bicephalium.*

Sarcoma vulneribus accreſcens, *hyperſarcoſis.*

Sarcoma in ſcroto ſimplex (*ſarcocele.*)

Sarcoma ſcroti varicoſum, varicocele. (*Kirſocele.*)

Condyloma eſt excreſcentia calloſa, carnibus firmior, oſſibus mollior.

Condyloma

Condyloma ab induratâ epidermide, callus pedum, manuum, (*calloſité.*)
Condyloma perioſtæo, tendinibuſve pedum adhærens, clavus. (*Cor aux pieds.*)
Condyloma fractis oſſibus accreſcens. (*Callus des os.*)
Condyloma mobile tendinibus adhærens. (*Ganglion.*)
Condyloma pudendorum protuberans. (*Condylome.*)
Condyloma pudendorum thymi florem referens, (*le thymus.*)
Condyloma pudendorum criſtas referens, (*la crête.*)
Condyloma pudendorum braſſicam caulifloram æmulans ſyphylitica. *Chou fleur.*)
Condyloma petiolatum, ſeu penſile. Ficus. *Sycoſis* Græcor. (*le fic.*)
Condyloma penſile ſyphyliticum Foreſt. (*Fic vérolique.*) vicinia cutis rubella eſt fœtidam ſaniem emittens.
Condyloma carnibus infixum vix

prominens, *porrum* (*Poireau.*)

Verruca eſt excreſcentia papillarum cutis nervearum , quæ differt à condylomate, quòd ſit ſæpè congenita , ècontrà condylomata ſint acquiſita. Verruca ubique cuti adnaſcitur; condyloma podici accreſcit. Differt à Sarcomate , quòd multò minor ſit.

Verruca petiolata ſimplex (*verruë.*)

Verruca ſeſſilis altè radicata ſolitaria. *Porrum.*

Verruca ſeſſilis ſyphylitica.

Verruca petiolata cancroſa. Acrochordon.

Verruca petiolata dolens à preſſione. *Acrochordon cancroſum.*

Verruca tuberculis minimis ſeſſilibus gregalibus : *myrmecia* Græcor. *Formica.* Latin.

Pterygium eſt excreſcentia in oculorum ſuperficie ex canthis orienda ſuprà corneam ſe diffundens. Exceptâ enchantide.

Pterygium album tricuſpis.(*l'ongle.*) unguis oculorum.

Pterygium rubrum planum. *Panus*, *paniculus*.

Pterygium orbiculare magni canthi. *Enchantis*. Variant quòd ſint ulceroſa, cancroſa inflammata, &c.

Hordeolum eſt excreſcentia vel tumor in limbo palpebrarum.

Hordeolum mobile conſtans *grando*, (*grain de grêle.*)

Hordeolum immobile conſtans, *crite* Græcor. (*Orgueil.*)

Hordeolum hydatidoſum. Aquula Sennert.

Hordeolum phlegmonodeum (*ſyro-palpebram.*)

Hordeolum verrucoſum.

Hordeolum ſteatomatoſum Sennert.

Bronchocele eſt excreſcentia vel tumor conſtans glandularum thyroïdearum & vicinarum in parte colli anticâ.

Bronchocele ab excreſcentiâ thymi. *Bronchocele* Celſi (*Goüetre.*)

Bronchocele ab excreſcentiâ glandularum thyroïdearum.

Bronçhocele à glandulis duris, ſtrumoſis. Bronchocele B. Caſtelli Lexic.

Bronchocele ſteatomatoſa altera Caſtell.

Bronchocele emphyſematoſa Plater.

Bronchocele aquoſa. Hydrops gutturis. Montalti *Synops.*

Exoſtoſis eſt protuberantia oſſium in artubus.

Exoſtoſis indolens in oſſis medio, *exoſtoſe.*

Exoſtoſis oſſis medii ſyphylitica, *exoſtoſe vérolique.*

Exoſtoſis oſſis medii rachitica.

Exoſtoſis epiphiſium cum dolore & carie. *Spina ventoſa.*

Exoſtoſis oſſis medii apice carioſo. *Nodus* Freindii.

Exoſtoſis unguium.

Exoſtoſis capitis cornuta. Cornu Plateri.

Exoſtoſis à callo oſſis. *Calus.*

Gibboſitas, *Boſſe.*

Gibboſitas oſſium pectoris, prominentia eſt.

Gibboſitas ſpinalis ſeu à ſpinâ protuſerante. *Cuptoſis* Græcor.

Gibboſitas coſtalis, coſtis extrorsùm flexis. *Scolioſis* Græc.

Gibboſitas ſcapularis, ſeu alata.

Gibboſitas ſpinalis.

Gibboſitas skirroſa.

Gibboſitas ab inflexâ ſpinâ. Lordoſis ſpinæ Græcor. Inflectitur quandòque à tractione muſculorum abdominis. *Act. Acad.* P.

Lordoſis oſſium contorſione cognoſcitur.

Lordoſis pedibus, cruribuſque divaricatis, genubus adunatis. *Compernes* Plauti.

Lordoſis tibiis extrorsùm convexis. Valgi *caigneux*. Græc. Rhæboï.

Lordoſis tibiis introrsùm convexis. Vari. *Jambes en compas*.

4°. *Cyſtides vel Tumores capſulati.*

Sunt protuberantiæ factæ à fluidis intra membranas proprias vel alienas, ſummoperè diſtentas contentis.

Anevriſma eſt cyſtis ab arteriæ

alterutrâ tunicâ dilatatâ.

Anevriſma cruore extra arteriam collecto. *Anevriſme faux.* Cruor intra ſaccum à textu cellulari factum colligitur, tusâ arteriâ vel rimam aliqualem paſsâ.

Anevriſma cruore intra arteriam ſphæricè diſtenſam collecto. (*Anévriſme vrai.*)

Anevriſma ſacciforme, (*tumeur anévriſmale.*)

Varix (*varice.*)

Eſt nodoſa vel interpolata venarum dilatatio, undè tumores molles preſſione recedentes, nigricantes, in cruribus ſæpiùs obſervantur.

Varix tibiarum vulgaris. *Kirſos* Græcis.

Varix podicis. Tumor hæmorrhoïdalis.

Varix teſtium, *kirſocele* Græcis. *Varicocele* aliis.

Varix umbilici, Varicomphalus Dionis. Nomen hybridum ex græco & latino verbo combinatum.

Hydatis, (*hydatide.*)

Eſt cyſtis ſæpè multiplex, ex internodiis lymphatici Bartholiniani, mirum in modum dilatatis, rarò in ſuperficie corporis obvia.

Hydatis dorſi ova referens, Schenkii hydatide.

Hydatis brachii margaritas referens, D. Deidier. *Obſervat.*

Staphyloma. Staphylome.

Eſt cyſtis ſeu capſula ſubrotunda in ſuperficie corneâ.

Staphyloma albeſcens integrâ corneâ. Gorrœi, *Defin.*

Staphyloma liveſcens eroſâ corneâ. Gorrœi. *Myocephalum* ſi minus uvæ acino; *melon* ſi majus, proptoſis uveæ creditur.

Staphylom aphlyctænodes. Phlyctæna oculorum. Phlyctene. Myocephalum Pauli.

Lupia (*Loupe*)

Lupia juxta Guidonem de Cauliaco, eſt tumor mollis & globoſus in juncturis, & locis ſiccis, con-

tinens juxtà neotericos fluidum in folliculo, ut plurimùm viſcidum & ſpiſſum citra præviam inflammationem.

Lupia melleo humore farta. *Meliceris* Græc. Mellifavium.

Lupia puſtaceo humore turgida, *atheroma* Græcis,

Lupia ſebacea ſteatoma græc. quæ meræ varietates, uti ſi poma.

Lupia hydatidoſa, hygroma Boërhavii. Hydatidoſus tumor ſolitarius.

Lupia lumborum ab hydrocephalo interno. Spina bifida Ruiſch. *Obſerv.* aliquot infantes recens nati geſtant circa ultimam lumborum vertebram, tumorem mollem cordiformem fuſcum, quo aperto, illicò obeunt. Fluit indè juxtà ſpinalem medullam liquor hydrocephali, quo ſimul laborant, ut patet ex ipſorum anatheſiâ; ſeu ſtupore univerſali.

Lupia Synovialis articuli, Hydar-

thrus

thrus *Hildan.* Meliceria *Caſtell.* Hydrops articuli *vulgò.*

Apoſtema (*abcès* , *apoſtème*)
eſt collectio materiæ griſaceæ , vel pultaceæ purulentæ ſine folliculo proprio.

Apoſtema inflammationi ſuccedens, *abſceſſus* vulgò , (*abcès.*)

Apoſtema per puris metaſtaſim. *Apoſtaſis* Græc. (*dépôt.*)
Fiunt ſæpè collectiones puris ſub cute , in fine febrium acutarum , potiſſimùm circa articulos , ubi nulla fuit conſpicua inflammatio. Differt apoſtema à lupia defectu folliculi.

Apoſtema Scroti. *Empyocele.*

Apoſtema Corneæ. Hypopyum.

Exomphalus (*exomphale*)
Hoc nomen poteſt uſurpari ad ſignificandas cyſtides umbilicalis regionis.

Exomphalus flatulentus. Pneumatomphalus *Græc.*

Exomphalus aqueus. Hydromphalus *Græc.*

Exomphalus cruentus.

Exomphalus purulentus. Empyomphalus *Græc.*

Oſcheoncele. (*Hernie fauſſe*)

Eſt protuberantia ſcroti à collectis inibi fluidis, ad cyſtides referenda.

Oſcheoncele purulenta (*Empyocele.*)

Oſcheoncele flatulenta (*Pneumatocele.*)

Oſcheoncele ſeminalis (*Spermatocele.*)

Oſcheoncele hydatidoſa. (*Hyatidocele.*)

Oſcheoncele varicoſa. (*Kirſocele.*)

Oſcheoncele aquoſa. (*Hydrocele.*)

Vide Sarcocelem ſimplicem & cancroſam inter excreſcentias, & teſtis phlegmonem inter tumores.

5°. *Procidentiæ*, Græcis *proptoſes.*

Sunt affectus partium ſolidarum quoad ſitum & figuram à partibus ſolidis à nativa ſede dimotis ac luxatis.

Exophtalmia. (*Chûte de l'œil.*) Protoſis Gorræi, *Defin.* eſt oculi procidentia.

Exophtalmia oculo intumefacto. Hydropthalmia, (*hydropiſie de l'œil.*)

Exophtalmia oculo cancroſo, (*cancer de l'œil.*)

Omphalocele (*Relâchement du nombril*)
Eſt protuberantia umbilicalis regionis à partibus ſolidis, ut plurimùm è ſuâ ſede dimotis, & extùs prominentibus. Variat prout inteſtina, omentum extrà muſculos abdominales protuberant.

Bubonocele (*Bubonocéle*)
Eſt protuberantia regionis inguinalis facta à luxatis partibus internis, iiſque vel trans annulos muſculorum abdominalium, vel infra ligamentum Poupartii elapſis.

Bobonocele inteſtinalis. Vide *Ileum*; ſi recens ſit, & ſtrangulata, ſtipatur nauſeâ, vomitu, conſtipatione, febre, borborygmis.

Bubonocele epiploïca.

Bubonocele cruralis ab inteſtinis. (*Hernie crurale.*)

Bubonocele ab inteſtini appendice. D. Litre, *Act. Acad. Paris.*

Bubonocele à veſicâ urinariâ. *Act. Acad. Paris.*

Bubonocele ab utero. D. Chatelain, *M S.*

Enterocele. Prolapſus ani. (*Chûte du fondement*)
Eſt protuberantia rubra, oblonga

ex podice ab inteſtino inverſo, & prolapſo. Enterocele alium ſignificatum obtinet, & vulgò pro herniâ inteſtinali habetur.

Hyſterocele (*Chûte de l'uterus, ou du vagin*)

Eſt protuberantia vel uteri inverſi intra aut extra vaginam detruſi, vel ipſius vaginæ inverſæ pendulæ.

Hyſterocele vera. Prolapſus uteri verus D. Vieuſſens, *Obſerv.*

Hyſterocele vaginalis. Prolapſus vaginæ vulgaris Sennert. (*Chûte du vagin*)

Hernia (*Hernie.*)

Hernia ſtrictè ſumpta eſt protuberantia ſcroti ab inteſtinis, vel epiploo trans foramina muſculorum abdominalium delapſis.

Hernia inteſtinalis Sennert. (*Hernie inteſtinale*) Oſcheoenterocele.

Hernia omentalis. Oſcheoepiplocele.

Alios affectus chirurgicos ut luxationes, fracturas, ulcera, caries vulnera, &c. *vide* ſuprà.

FINIS.

Nota. *Pag,* 87. *ligne* 15. cœruleum, *lege* viridem.